2.

COMMENTATIO PRACTICA

AD RETARDATAS, VEL PRÆPEDITAS PERTINENS

ACUTORUM CRISES

JUXTA FURIOREM CURANDI METHODUM RECENTIORUM

REGIÆ CELSITUDINI

JO. GASTONIS I.

MAGNI DUCIS ETRURIÆ

D. D. D.

AB JO. ANTONIO TERENZONI

In Piſarum Gymnaſio Practicæ Medicinæ Ordinario Profeſſore.



LUCÆ, MDCCXXXIII.

Typis Franciſci Mareſcandoli *a Pozzotorelli*. *Super. Lic.*

Turpe eſt in omni Arte oſtentationem, ac rumorem concitare, nullamque utilitatem afferre; Turpe item eſt in Medicina, rationem ſine praxi, & praxim ſine ratione tradere; Quum putare, & non facere inartifi-cialitatis ſit ſignum. Hip.

REGIA CELSITUDO.

S*Ipulchræ, optimæque Artes nunc verba facere, nobiſque poſſent animi ſenſus declarare, nullum profectò alium, præter Te, REGIA CELSITUDO, aut verbis magnificis extollerent, & prædicarent, aut ex amplificatione Regiæ Dignitatis tuæ, non mediocrem acciperent voluptatem; Unus enim Tu fuiſti, ad quem citato greſſu venerunt, in ſinumque tuum confugere non dubitarunt recreandæ, Tu qui poſt tot, tantoſque labores ad otia dulcia, & jucunda illas jam profugas revocaſti; Exemplis quippe domeſticis bene multis impelleris, atque excitaris, & præſertim Laurentii illius celeberrimi, quem verè Phœnicem inter omnes Europæ univerſæ Principes, viri in primis eruditi, ac ſapi-*

❉ 2 entes

entes Jure appellarunt; cujus in bello virtus, in pace ſapientia, ac moderatio, juſtitia, temperantia, liberalitas, ingenii præſtantia, cæteraque animi dotes non modo Heſperiæ Magnæ ſat cultis admirationem afferre, verum barbaros etiam populos, & impolitos illi conciliare, & devincere arctiſſimo fœdere potuerunt; quem nec Græcæ literæ, quos in Tuſcia hac noſtra excitavit, tacebunt unquam; neque liberales Diſciplinæ omnes ſilebunt Leonem X. Summum Pontificem, magni Laurentii filium ter maximum, qui illas adeò extulit, exornavitque, ut barbaries omnino expulſa eſſet; a qua dudum miſeræ opprimebantur, & aureum reductum ſeculum auſpiciis viſum fuerit fortunatiſſimis. Quæ certè etſi magna; & præſtantia ſunt, majora tamen, & præſtantiſſima Mediceæ gentis Heroes ſibi laudis argumenta propoſuere; Eos nempe fama commemorat, quorum munificentiâ, & liberalitate illecti innumerabiles Viri, & quales Viri! ſtudioſis omnibus ſplendidiſſimam ingenii facem prætulerunt, & tot

in

Google

in Philoſophia, & reliquis facultatibus quanto labore, proh Deum immortalem! invenere, quæ exinde, & doctiſſima Italiæ noſtræ lycea, & illuſtres exterarum gentium Academiæ non ſine ingenti plauſu excipere, & amplecti voluerunt. Mitto hic omnium Scriptorum nomen glorioſum, & immortale, & pro cunctis recenſeo Galileum Galilei Florentinæ Urbis decus egregium, atque ornamentum ſingulare, cui haud ſcio, an univerſus Orbis [ut diſertiſſimus ajebat Orator] parem unquam tulerit, cuique placuit ſiderum repertum nobiliſſimum conſecrare, atque offerre Majoribus tuis; quo lumem acciperent; & nomen à Medicea Gente ſtellæ prius incognitæ, & quo ipſum Regalis tuæ Familiæ nomen in Cœli regionibus collocatum, nulla unquam inobſcuraret oblivio; In cujus eximii Philoſophi laudibus ſi per tempus mihi exſpatiari liceret, maximo certe fructu, ac jucunditate cumularer, ſic enim modeſtiæ Tuæ, quæ meritas etiam commendationes reſpuit, haud infligerem vulnus.

Sed

Sed ut ad me, elucubrationeſque haſce medicas ſermonem aliquando vertam, in quibus abſolvendis omnes adhibui & induſtriæ nervos, & diligentiæ meæ, optimo conſilio factum eſt, ut eas Tibi inſcriptas vellem emittere. Expoſtulabat ſanè ratio, plenoque jure efflagitabat, ut ſi ſub tuo auguſto Nomine apparuerunt paucis ab hinc annis Exercitationes de Criſibus; quæ deſiderabantur, quæque hodie idem argumentum ad praxim pertinens attingunt, ſi prodirent in lucem, Te permittente, & adjuvante prodirent. Quid plura? Ariſtarcos, cæteroſque parvi nominis Criticos a conſilio detrahendi tua maximoperè pertimeſcenda auctoritas deterrebit, & Tu mihi Celſitudinem Regiam tuam demiſſo colenti animo, ſi non laudes, quibus indignum eſt poſtremum Opuſculum hoc meum, excuſationem ſaltem aliquam tribuas, atque impertiaris, ut qui vitam perbrevem non otioſè traduxerim, & in Tua benevolentia, humanitate, ac patrocinio totus conquieverim.

CAN-

CANDIDE LECTOR.

EXercitationes de Criſibus, & de diebus Criticis in morbis acutis, quas publici juris feci annis elapſis, Lector optime, me excitarunt, atque impulerunt per ſtudium, atque Virorum gravium, & ſapientum contentionem, ad iterum expendendam conſiderationibus practicis omne id, per quod auferri, aut ſuperari poſſint impedimenta ſeparationum cauſarum, quæ morbi producunt acumen, ut non ſolum cognoſcantur (quoad fieri poterit) vires, & reſiſtentiæ fluidorum, & ſolidorum, præter naturalem ordinem adauctæ, vel diminutæ, ſed ut aliquod afferatur etiam auxilium naturæ a moleſtiſſimis ſymptomatibus oppreſſæ; Ex quo fiet, ut Natura ipſa ſeparationem quantumvis lenem tentare queat, & paulatim diſponere machinam ſolidi, mixtionemque fluidi ad mutuò agendum aliqua ſaltem proportione; Omitto hic conſultò multos, eoſdemque Viros exteros apprime doctos, qui mihi currenti, ſtimulos verbis non manibus addiderunt ut Commentatio Practica in Criſes typis deſcripta circumferretur, & pro cunctis celeberrimum, & longè clariſſimum Ludovicum Muratorium, hic nomino, Virum omnium certè rerum ſcientiâ inſtructiſſimum, qui dum Tractatum de Morbis Complicatis perficere cogitarem, ut laborem hunc libenti animo amplecterer eſt adhortatus, quod ex ejus epiſtola, cujus partem tantùm ſubdo, intelliges erudite Lector.

Aveva io ben inteſo alcuno de' noſtri Medici non aſſai perſuaſo delle decantate leggi de' giorni critici ne' mali acuti; ma niuno Autore aveva io letto, che aveſſe preſo ad eſaminare a fondo la loro ſuſſiſtenza, ed inſuſſiſtenza. Forſe anche niuno v'è, che abbia metodicamente trattato sì fatto argomento; Ora abbiamo queſta obbligazione al ſingolar ſapere di V.S., che intrepidamente è ita contro la corrente, ed ha fatto conoſcere, quanto mal' appoggiate ſieno in queſto le ſentenze de' Vecchj: Ora sì che intenda, perchè nelle malattie da me vedute

di

di varie perſone ſi oſſervi tanta varietà ne' tempi delle criſi, e nella minore, o maggiore lunghezza de' mali. Per quanto ſi può mai Ella ha dilucidata una tal materia, uſando non meno la ſcienza Medica, che la Mecanica, e però mi rallegro con V.S. di queſta ſua nobil fatica, e me ne rallegro col Pubblico ancora, che potrà profittare de i lumi che Ella ha dato. E per verità ch'io bramerei, che ella conduceſſe sì bella Teorica alla pratica, e veniſſe per quanto è lecito in un arte, che lavora forte nelle tenebre, additando i ſegni, indizj, e prognoſtici, ſe non certi, almeno veriſimili, degli umori peccanti, delle loro reſiſtenze, e cozioni, con tutta la teoría delle criſi, e degli ajuti, certo non molti, e dubbioſi, che può dare il ſaper Medico. Ma temo, che V.S. mi riſponderà incontrarſi troppe difficoltà, non ſapendo noi bene in tanti caſi, ſe la ſteſſa ſezion della vena ſia utile, o dannoſa; Pure non può ſe non giovare l'eſame di tutto ciò, che può influire a muovere, o ſecondare, o pure impedire la natura nelle criſi, col diſaminare ſpezialmente i benefizj, che ſi poſſono ſperare ne' morbi acuti dal bere acqua, o calda, o fredda, o gelata, come uſano alcuni Moderni; Ora giacchè il Sig. Iddio ha dato a V.S. tanta penetrazione di mente, ſeguiti a faticare in benefizio del Pubblico, ec.

Si quis autem exiſtet (& erunt fortaſſe nonnulli) qui me, ut vanum, & gloriæ cupidum damnare velit, quod ex alienis laudibus mihi gloriam comparaverim, is non laudes, ſed cauſas expendat ſcribendi meas, aucupari enim honorem nolo ex Virorum cæteroqui eruditorum ſcriptis, ſed ex proprio marte confectis, quod mihi profectò contingere vix poterit, non meæ voluntatis culpâ, ſed doctrinæ potius, quam in me ſentio, quam ſit exigua; ſed iſto omni ſermone omiſſo breviter, contendente ſapientiſſimo Muratorio, materiam ſuâ naturâ vaſtam, atque prægrandem tetigi, ac leviter pertractavi, in quo tamen (ut ex animi ſententia dicam) non parum inſudavi; ſed nec me diù inſudaſſe pigebit, ſi dum omnibus profuiſſe ſtudui, nemini diſplicuiſſe me ſentiam. Vale.

EXER-

EXERCITATIONUM INDEX.

EXERCITATIO I.

De motibus, viribus, ac reſiſtentiis ſolidorum, ac fluidorum examinandis, quovis acutorum tempore pag. 1

EXERCITATIO II.

De ſignis a præternaturalibus motibus, viribus, ac reſiſtentiis ſolidorum, & fluidorum depromptis, minimequè Criſes denunciantibus. 13

EXERCITATIO III.

Prænotiones præpeditæ, vel retardatæ Criſis in acutis deſumi debent a læſo ſolidorum textu, ab eorum præternaturalibus viribus, ac reſiſtentiis, necnon a diris ſymptomatibus ægrum divexantibus. 26

EXERCITATIO IV.

De Probabilioribus notis peccantium cauſarum, Criſes non admittentium. 31

EXERCITATIO V.

De humorum peccantium vi, criſibus reſiſtente. 40

EXERCITATIO VI.

Sunt ope Remediorum ità ſolvenda noxia, quæ nimis cohærent, vel coercenda, quæ nimis moventur, ut ſolidorum, & fluidorum vires, ac reſiſtentiæ aliquantulùm reſpondeant adinvicem, criſibuſque conventant. 47

❀† EXER-

EXERCITATIO VII.

Quoniam ſuſævientibus ſymptomatibus nulla ſit acutorum mutatio, ea tunc ineſſe debet medicamento exhibendo facultas, quæ tum ſolidis fœdus, vim, ac reſiſtentiam, cum fluidis novam mixtionem, velocitatem, temperiem, ac ſeparationem inducere poteſt. 54

EXERCITATIO VIII.

Criſes retardatæ, vel prædepitæ in acutis excitari ſolent a repetita venæ ſectione, cohæſiones novante, motus, ordinem, vires, ac reſiſtentias ſolidorum & fluidorum. 59

EXERCITATIO IX.

Quoties aquarum uſus corrigit, vel tollit cauſas retardatæ vel præpeditæ criſis, toties noxia liquida, & polluta ſolida certum adhuc ſervant fœdus, & virium conatum, ſive certum mixtionis, cohæſionis, & agendi modum, ope cujus aquarum uſus addit vires naturæ ſeparandi acutorum cauſas. 66

EXERCITATIO X.

In præpeditis, ac retardatis acutorum criſibus, tum tepidæ, cum frigidæ potiones poſſunt contemerata fluida æquè ſeparare, ac violata ſolida reſtituere ad propriam figuram, fœdus, ſitum, & ordinem, perindèque criſis impedimenta de medio tollere. 74

EXERCITATIO XI.

Aquæ cum frigidæ, tum tepidæ extricare, ac ſeparare poſſunt morborum ſemina a ſanis, dummodo ſolidis,
&

& fluidis ſuperſint conditiones criſibus congruentes. 83

EXERCITATIO XII.

In retardatis, ac præpeditis Criſibus ea remediorum genera non ſolùm ægris acutâ labe vexatis conveniunt, quæ temperant motus, vires, ac reſiſtentias humorum, ſpirituum, & partium, verùm quæ illis reſtituunt certum reciprocationis gradum, in quo poſſint mutuò agere, paulatimque præpeditam, aut retardatam cauſam acutorum ſeparare, atque depellere. 96

De

De Mandato, &c. Vidit & imprimi poſſe putat Dominicus Maria Martini Præpoſit. S. Mariæ Filicorbi, & S. T. D. &c.

Imprimatur

CAROLUS FRANCISCUS CONTI VICAR. GEN.

DOMINICUS ALTOGRAD. ALTOGRADI PRÆPOSIT. ILLUSTRISS. MAGISTRAT. SUPER JURISDICT.

EXER-

EXERCITATIO I.

De motibus, viribus, ac reſiſtentiis ſolidorum, ac fluidorum examinandis, quovis acutorum tempore.

QUI bene, ac ſapienter Medicinæ praxim callent, intelligunt virium momentum ægros, nullo non tempore acutorum, per muſculorum, ac villorum contractilium ſabricam exercere, viresque haberi non poſſe per ſolum impetum, quo liquidum nervorum, & ſanguis arteriarum excidunt è vaſculis ſuis ſed fidenter aſſerunt quamcumque vim produci a confluxu eorumdem liquidorum, ſubitò rareſcentium, ſeſeque mirè in bullas quaquaverſum effundentium, ſi igitur liquor nervorum, & ſanguis arteriarum vehementer rareſcunt, atque in minutiſſimas effunduntur bullas, patet, eo prorſus modo contingere, quo per affluxum, ſeu effuſionem olei Tartari rareſcunt, & in bullas ſubitò ſeſe effundunt particulæ ſpiritus acidi, nitri, ac ſulphuris.

Conſtat ergo particulas utriuſque liquidi ſolutas, ac libertatem nactas cujuſcunque gradus vim exercere poſſe, juxta multitudinem innumerabilium moleculatum, quæ diſſolvuntur, & impetum ſuum libere exercent. Impetus tamen hic, qui a particulis ſanguinis, &

 liqui-

liquidi nervorum exercetur, non ſufficit ad hoc ut muſculi, & villi contractiles vires maximas exerceant, ſed ulterius requiritur actuoſas particulas debere eſſe tantæ copiæ, tantæque virtutis, ut rareſcant, ac momento citius effundantur adinſtar ferè pulveris pyrii, non per externam tantùm ſuperficiem muſculorum, e qua citiſſimè in auras abirent, ſed commeent, atque intimam penetrent villorum, & muſculorum ſubſtantiam, adeoque diffundantur intra minimas, valdèque multiplices, ne dicam, infinitas cavitates, ſive ſinulos per corpus muſculorum, & villorum diſperſos; ex quo fit, ut villi, & muſculi, ſive pelliculæ, ex quibus conſtant dictæ cavitates, acquirant totum impetum, provenientem a liquidis rareſcentibus, aut in bullas innumeras quaquaverſum ſe diffundentibus, & tunc eo impetu flecti coguntur ſingularum cavitatum membranulæ ad exteriora, adeoque villorum, & muſculorum ſinuli fiunt breviores, & vim exercent; at quia tota villorum, & muſculorum longitudo continet innumeros ſinulos, qui breviores per rarefactionem fiunt, debebit, neceſſitate cogente, tota longitudo contrahi, & brevior fieri, tempore igitur, quo contrahitur muſculus, fit ipſius longitudo brevior, perindeque latitudo, ſive amplitudo major. Quare ante rarefactionem fluidorum vires facientium, deprehenditur muſculus anguſtior, & longior, in rarefactione brevior, & amplior. Ex quo deducitur hos motus tempore acutorum, potiſſimumquè in incremento, & ſtatu citiùs fieri, ope præternaturalis impetus liquidorum malæ indolis perperàm rareſcentium, univerſoſque villos, ſine certo modo, certo gradu velocitatis, ac ſine certâ lege relationis penetrantium, ex quo fit, ut ordo proportionis, quæ intercedere ſolet inter liquidorum ſemina, & machinulas ſolidorum violetur, perindeque turbentur, ſive confundantur pro nimia velocitate, ac diffuſionis impetu, contractiones, & diſtractiones, preſſiones, & circumpreſſiones cunctorum vaſculorum, uno verbo, ut motus inordinati, procelloſi, ſive tremuli fiant,

fiant, adinſtar foliorum arboris in medio concitati aeris; Deducitur, inquam, muſculorum, ac villorum contractilium impetum non eſſe aliud, quàm ſinulorum amplitudinem, ſive extenſionem machinularum, quæ per rarefactionem liquidorum vites exſerentium, irritantur, majus acquirunt ſpatium, tenduntur, ac tremunt, etiam tempore quo diſtrahuntur.

Verum enim verò in hujuſmodi moribus ægri acutorum labe gravati, jugi torquentur irritatione, quæ non eſt aliud, niſi levis nervorum inflexio, ſive muſculorum, membranarum, villorumque contractilium levis divulſio, quæ quidem non fit ſine memoratarum partium moleſta tenſione, ſeu mavis convulſione. Quantò magis igitur partes ſolidæ nituntur, ac irritantur, tantò magis tenduntur, ac divelluntur. Sed perpetua hæc irritatio, continua tenſio, & machinularum divulſio non ſunt ſemper *ejuſdem roboris*, & gradus, toto durationis tempore acutorum, nam villorum contractio, ex dictis, contingit per ſubitam rareſcentiam liquidorum, intra ſinulos, ſive ſpatiola, quæ in membranis, ac villis comprehenduntur; Si ergo ſunt dicta liquida turbinoſæ indolis, liberæ ſubſtantiæ, ſiccioris, vel craſſioris materiæ; ſi ſunt majoris, vel minoris copiæ, diverſæ energiæ, atque velocitatis, diverſimodè planè rareſcunt, urgent, pulſant, & ſtimulant, ideòque intra poros, & ſinulos villorum variè derivant, penetrant, effunduntur, & agunt, adeòque vires, & reſiſtentias varie exercent, ut perinde tenſiones, divulſiones, ſive convulſiones, modò fiant momento citiùs, modò conſueto tardiùs, modò nimis durent, ac aliquantulùm impediant membranas, villos, cæteraſque ſibras muſculorum, ne poſt rarefactionem liquidorum ad priorem diſtractionem, conſuetamque cohæſionem, ſtatum, formam, & figuram redigantur; Tunc fit, ut liquores rareſcentes de more non illuſtrent villos, munia propria non perſolvant, nec evaporent, ſed quaſi fræno, ſive diverſis retinaculis machinulas villorum perſtringant; tunc humores

 qua

quaquaverſùm fluentes, nec ritè fluunt, nec præterfluĕnt, quia muſculi, & vaſorum villi plus juſto in contractione manent, tremunt, nec intra ſtatutum tempus diſtrahuntur, quod eſt in cauſa, ut calamitates non paucæ, ſive ſymptomata ſæviſſima exoriantur, & durent, cum vitæ ſummo diſcrimine.

Non ſunt porrò contractiones ſemper ejuſdem gradus. Obſervantur enim primo acutorum tempore leves irritationes, inde majoris momenti, indeque virtutis maximæ: quare in principio fiunt a modica rarefactione, inde majori, demùm maxima, ſive verius a modica, & prava liquidorum quantitate, eaque magis, vel minus impura, inde a majori attenuatione, vividiorique ſubſtantia, demùm ab eadem ſubſtantia nimis ſoluta, concitata, ac ſere turbinoſa.

Quoniam verò liquidorum rareſcentium vis, ope concitationis poteſt ſucceſſivè creſcere; poteſt etiam ſucceſſivè decreſcere, uti quando pollura materies, quæ vim facit, diluitur, implicatur, aut evaporat, vel quando villi contractiles, ſicci, aut madidi evadunt, vel in aliquam luxationem deveniunt; ſed quia jugiter a nervis, & arteriis excidit liquidorum rareſcentium magis, vel minus vitioſa, & inæqualis copia, & quidem interturbatæ naturæ, atque diverſi roboris, fit ut muſculi, ac villi non veniant in abſolutam contractionem, nec in abſolutam diſtractionem, ſed juxtà copiam, & naturam rareſcentis materiæ plus, vel minus vitioſæ, perdurent oportet in contractionem, & diſtractionem diverſi gradus, tum quia hoc pendet a jugi, variaque preſſione, & impetu, quem excipiunt cerebrum atque glandulæ corticis a pia matre, tum quia hoc pendet a diverſa liquidi nervoſi productione, ſimulque a jugi, varioque conatu, ſive impulſu, quem excipit ſanguis a corde, & ab arteriis, vel ab utriſque ſimul.

Non eſt hic ſilentio involvendum, contractionem, & diſtractionem diverſi gradus modò retardari a lympha acida, ſalſa, turbida, ac lutulenta, exiſtente tum

inter

inter cerebrum, & piam matrem, tum inter villorum ſinulos, cujus nequitia ſemina humorum omnium diluit, atque contaminat, modò a quavis aliâ humorum congeſtione pravæ conditionis, qui quidem humores muſculos, & villos madefaciunt, infarciunt, ſiccant, aut convellunt, adinſtar paginæ madidæ, telæ picturatæ, ſive corii ſicci. In tanto rerum diſcrimine, quomodo liquor nervorum, & ſanguis poſſunt aptè tareſcere? intimè commoveri? ſimulque impetum in ſinulis villorum exercere? quomodò vires poſſunt reſiſtentiis reſpondere? quomodo ſolida, quæ infarctu, ariditate, exolutione laborant, & fluida, quæ omni labe inquinantur, debitoque motu deſtituuntur, quomodo, inquam, poſſunt velocitatem, ordinem, & relationem ſervare, mutuo agere, & virium momentum cum aliqua proportione exercere? præſertim ſi hoc contingeret per nimiam molem ſanguinis prementis nervos, aliave cerebri vaſcula, vel ſi contingeret per quodlibet impedimentum, retardans humorum velocitates, cujus causâ vitietur oportet fluxus ſanguinis, aliorumque humorum, ex quo fit ut in dato tempore non depuretur ſanguis, ritè non fluat ad corticem, nec regeneretur apta ſpirituum copia, perindeque tempore debito non derivet ad partes, eaſve non fæcundet, nec perluſtret pro neceſſaria virium, ac reſiſtentiarum exercitatione, valdè coctioni opportuna.

Obſtat interdùm aliquid retardans inutilium ſecretiones, aut quodammodo præpediens fluxum ſanguinis, ne liberè viſcerum vaſcula commeet, ne liberè per venas, atque arterias excurrat, cujus occurſu fit, ut urgeantur vaſa, humoreſque nitantur extrorſum, uti obſervare eſt in flumine, quod dum tumet, & impedimenta in alveo adinvenit, attollitur in vortices retrorſum, profluitque ad tranſverſos obices; Cauſa item retardati motus in acutis creditur læſa cribrorum, glandularum, & aliorum vaſculorum ſtructura, vel creditur prava congeries lutulenti humoris, vaſcula minutiſſima conteme-

Digitized by Google

temerans, eaque nimis premens, vel quodlibet aliud obſtruens majora, aut minora vaſorum oſcilla, quorum vitio tollitur velocitas, quam concipiunt ſanguis, aliique humores a corde, & a villis contractilibus arteriarum, ſingulorumque vaſculorum, Amiſſa igitur naturali velocitate, fiunt humores lenti, viſcidi, nimiſve cohærentes, abſque eo quòd aptè fluere, aliaque munia obire queant, ſive igitur deſint, aut deformentur cribra, aptæ glandulæ, aptive canales, ſive deſint preſſiones, ac circumpreſſiones, aptæque velocitates, facilè fiet, ut peccantes liquidorum particulæ canalium membranis, ac emiſſariolis cohæreant, adeòque vix, ob defectum preſſionum, fluxum concipiant, & a vaſculis divellantur.

Adnotatu dignum eſt, nullam glandulam eſſe ſuapte natura ita comparatam, ut per ipſam, acutorum tempore, ſeparetur humor vitioſus, adeòque omnino ſimplex, ac inſontis naturæ evadat: nam in glandulis, cunctiſque vaſorum generibus, primùm moderetur oportet, inde ſeparetur humor ex pluribus naturis, ſive diverſis particulis compoſitus, quarum mutatio, ſive novus coalitus fit in dictis glandulis, cæteriſque ductibus, tempore quo vitioſæ particulæ jugiter fluunt, cohæſiones novant, & motus mutant, vel tempore quo criteria naturæ adhuc ſervant figuram, & aliquem proportionis ordinem, cujus vi noxium commenſurabile evadit excretoriis oſcillis vaſculorum, quod facile evenire poteſt quotieſcunque noxium debita velocitate ſcatet, ejuſque moleculæ ſimilis figuræ evadunt illis, quæ tempore ſalutis ſecernuntur, & quemadmodum iſtæ vaſorum diametris reſpondent, ita ſeparari illæ poſſunt, atque depelli.

Verum ſi humores pernicioſi ſint adeo coacti, ac veluti ſtipati, ut ſingulæ eorum particulæ in mutuum contactum nitantur, & a majori illo connisu, vel conatu, quem mutuò exercent ita viciſſim comprehendantur, ut particulæ etiam valde ſolutæ devinciantur, debito-

bitoque motu priventur, tunc niſus, implicatio, & reſiſtentia particularum erunt majores omni vi preſſionis, & circumpreſſionis, & cujuſcunque alterius motus villorum, ſive cujuſcunque majoris, vel minoris canalis; Leves propterea, quæ ſuperſunt commotiones moliri nequibunt novam mixtionem, novas compoſitiones, ac disjunctiones criſibus congruentes, niſi per copioſiorem ſpirituum influxum adaugeantur preſſiones, ac ſuperentur reſiſtentiæ, vel niſi ſpiritus validiùs agant, & ſolvant conſtipatos humores, magiſque fluxiles reddant.

Innumera utique ſunt impedimenta, etiam in ſolidis, quæ tam variè deturpant, & a naturali unione, texturâ, & vi illa removent, ut in certis motibus adinvicem offendantur, concutiantur magis magiſve deformentur, abſquequòd villorum rugæ, canaliculorum criſparuræ internæ, giri, atque ſuffragines cujuſcunque canalis etiam inflexi ſerventur, abſqueoquòd motus ſuperadditi incompoſiti, periculoſi, ac ſine ulla lege, atque relatione ſuccedentes criſes promoveant, eiſque opem ferant; tandem abſqueoquod fluida poſſint depurari, ritè fluere, conformari oſcillis, ac ſpiramentis cujuſcunque cribri, atque evaporatorii.

E contra verò quò plus juſto excurrunt, & ebulliunt fluida per ſuos canales, & ſolida plus æquo offenduntur, cedunt, ac eliniantur, eò plus invertuntur motus, alterantur vires, reſiſtentiæ, ac reciprocationes coctionibus neceſſariæ. Nam nervorum liquor, ſanguis, aliorumque liquidorum polluta copia igneis, ſulphureis, ſtimulantibus, erodentibuſve ſeminibus, quibus ſcatent, nimis atteruntur, ac efferveſcunt, iantoque impetu irruunt quaquaverſum in ſingulas minutiſſimas machinulas, ut ſine ordine cohæſiones novent, aliam indolem, & quidem nequiorem nanciſcantur, uno verbo, ut partium fædera penetrent, exolvant, ac veluti comburant, adeòque figuram, vires, & reſiſtentias coctionibus idoneas tollant.

Quoties ergo in acutis liquidorum moleculæ nimis

nis mobiles, alteriuſve pravæ conditionis rareſcunt, vehementer ad partes derivant, ac veluti eas uſtulant, toties ſanguis, nervorum liquor, cæterique humores malis ſeminibus imbuti, diſſoniſque velocitatibus ditati, majus ſpatium intra vaſa, & villorum ſinulos exigunt, perindéque machinulas pervadunt, & impellunt, ut quodammodo eas luxent, ac veluti abradant, ut majori, quàm decet impetu, vaſorum membranas contrahant, ſiccent, ac divellant, magna cum cohæſionum, virium, ac reſiſtentiarum jactura.

In hac itaque rerum confuſione nullâ certâ lege, vi, & ordine moventur viſcerum glandulæ, nullâ certâ lege moventur vaſa ſanguinis, atque nervorum, ideoque ſpiritus, qui fluunt, & refluunt, ſive confluunt nullâ certâ lege, & vi illuſtrant muſculos contranitentes, & alios contranitente deſtitutos, immò nullâ certâ lege, & ordine proportionis movent villos cordis, arteriarum, & venarum, excurrentium per vaſa, ſive tracheolas pulmonum, aliorumque viſcerum; ex quo fit, ut ægri quaquaverſum jactati, diriſque ſymptomatibus læſi, ſine criſi deficiant.

Ex allatis rei medicæ non ignari ſciunt adeò in acutis concitari, & confundi vitioſa ſemina, tamque variè adinvicem conjungi, & disjungi, ut ſine certo velocitatis gradu, & cohæſionum ordine derivent ad ſolida, quorum machinulas, & uniones deturpent oportet, hic pravo coalitu, & infarctu, illic obſtructionibus majoris, minoriſve momenti, alibi laxitatibus, tenſionibus, atque divulſionibus internorum, ſive externorum vaſculorum, abſqueeoquod vires reſiſtentiis, ſolida fluidis, & fluida ſolidis, debita relatione ſitus, ordinis, figuræ, mixtionis, & motus viciſſim reſpondeant, atque criticæ ſeparationes peragantur. Res hujuſmodi clariùs firmatur, ſi in acutis oleoſæ, biliares, ac ſalſæ liquidorum moleculæ adinvicem diu agitantur, ſolent etenim iſtæ alias, ac alias moleculas ad contactum venientes adeò turbare, ut ſeparari nequeant, nam ſi vis ab

ab aqua interturbata rite ſeparare oleum, vel quidquid olei naturam redolet, cave ne ſit ſale interſperſa, ſive permixta. Clariùs res evincitur: ſi oleum, & aqua diù agitentur, unus, & alter liquor ſimul conſunduntur, atque ita turbantur, ut chartam bibulam, aqua prius madidam, difficilè permeent. Verum ſi charta fuerit, ſimplici prius oleo ſatura, permeabit oleum, minime aqua tranſiliet. E contra ſi charta fuerit purâ aquâ madeſacta, facilè hæc, minime oleum commeabit; ſic mali moris ſemina, quæ mala liquida conſtituunt, ſi diu preſſa, & provocata valde concitentur, perperam cohæreant, ſeſeque ſegregare nitantur, difficilè primam relinquunt cohæſionem, figuriſque pororum, & vaſculorum diametris non conformantur, ideoque rei noxiæ ſeparationes haud perſolvuntur, dummodo illa non ceſſet *agitatio*, *quæ mala* ſemina involvit, & implicat, dummodo ſecretionis organa ad primum fædus, & figuram, vim, atque agendi ordinem non revertantur.

Quò magis igitur, vel minus recedunt motus a legibus naturæ, eò magis vel minus incompoſiti, & periculoſi fiunt, hoc eſt, magis vel minus evadunt tremuli, turbinoſi, ſeparationibuſque contrarii, nam ſolida horum motuum vi concutiuntur, tenduntur, luxantur, ac ferè limæ morſu extenuantur. Vaſa itidem plus vel minus juſto pulſantur, & urgentur ſupra, infra, & ad latera, ita ut quæ ſunt plana, pervia, recta, alteriuſque cubicæ vel cilindricæ figuræ deformentur, contorqueantur in modum glomeraminis, ſpiræ, vel nodoſæ chordæ, ſive veriùs in modum fidis mirè intortæ, ac propterea ſeparationibus inidonea fiant.

Ab inordinatis itaque motibus, ac violato ſolidorum fædere, non parum alterentur oportet figuræ, & exordia liquidorum, quorum moleculæ tam varie ſolvuntur, & coeunt, ut inter diverſos compoſitionis, ac ſolutionis modos quaquaverſum redigantur hic ad liberiorem, illic ad denſiorem ſtatum, ſive ad majus vel minus ſpatium occupandum; mala etenim liquidorum

tyrocinia, incongruo motu percita, agitant totam fabricam, ita ut ſolida irritentur, & liquida nitantur in ſolida, vel, quod in idem recidit, ut fluida validius compreſſa majorem vim rurſus inferant ſolidis, quare ex his motibus colligitur, noxia ſemper magis confundi, nullamque coctionem abſolvi.

Quoniam motus, & vires in ægris acuta labe vexatis, parum inter ſe convenire videntur, ſciendum eſt, utplurimum pendere poſſe a majore, vel minore quantitate rareſcentium fluidorum in villos confluentium, illoſque plus aut minus penetrantium. Verum ſi illorum prava quantitas, & qualitas talis ac tanta ſit, quæ mutationem non patitur, quæ vires plus juſto adaugeat, vel imminuat, res in ancipiti eſt. Nam languidi motus, vireſque fractæ ſupponunt villos æquo minus flecti, undas fluentes, ac refluentes minus vigere, ideoque parum momenti exercere, uno verbo, levem facere dimotionem humorum, quorum particulæ craſſiores, juſtoque denſiores evadunt; ex quibus omnibus percipitur, minus juſto extendi, & contrahi arterias piæ matris, minus juſto premi cerebrum, minuſque æquo exprimi ſpiritus, qui in nervos primum tardiùs derivant, inde ad partes tardiùs fluunt, & refluunt, ideoque parum momenti exercent in tota fabrica. Id ipſum contingit in illo ſanguine, qui confluit in villos contractiles, quorum machinulæ languidè contrahuntur, & diſtrahuntur, languidaſque vires exercent, nec poſſunt humores noxii novari, atque ſecerni.

Verum enim verò ſi prava quantitas, & qualitas ſanguinis, aliorumque liquidorum vires facientium talis, ac tanta ſit, quæ velocitates, & vires adauget, quæ humores ubique conturbat, vel conſueto majorem niſum, motuſque nimis acceleratos excitat, perindeque villos irritat, convellit, ac ita diſſolvit, ut fœderis, & cohæſionum reſiſtentias ſuperet; tunc ægri diris ſymptomatibus perpetuò jactati haud criſes ſperare poſſunt. Ex adauctis ergo viribus, motibus acceleratis, & ſuper-

ſuperadditis fiet, ut villi jugiter oſcillent, breves, tenſi, rigidi, ſive convulſi evadant, fiet ut tremor validior exurgat, ut excurſus ſolidorum ad mutuum contactum, majori ſemper niſu machinulas elimet, extenuet, & diſſolvat, demùm fiet, ut villi indebitas cohæſiones acquirant, propriaſque reſiſtentias amittant; Quare ratione adaucti motus a qualibet parte infirmi corporis exprimitur ſubſtantia benignioris humoris, item ratione adauctæ irritationis, ſive divulſionis ultra certum gradum, & ordinem urgetur, ac depellitur quidquid venit ad contactum neceſſarii humoris, membranarum, ſcilicet, nervorum, &c. maxima cum ægri jactura, ac detrimento.

Per vim igitur inordinati, ac ſuperadditi motus, violentèr exprimitur quidquid ſervat relationem virium, ac reſiſtentiarum *abſ*queoquod practicantes criſes ſperare poſſint.

Animadverſione dignum eſt, a pravis acutorum ſeminibus acidæ, ſalſæ, vitriolicæ, ac ſtimulantis naturæ liberiores fieri undas liquidi nervorum, ſcatentis his & aliis turbinoſis principiis, adeòque deduci ſine ordine, & proportionis motu in ſingulos nervos liquidi quantitatem naturali majorem, potiſſimumque derivari in muſculos cordis, ibique ſuſcitare inæqualem vim contractionis, ac impetum naturali validiorem, quæ omnia, ſi diu vigent, adaugeant oportet ſymptomata, quorum vi abſumuntur humores, exſiccantur villi contractiles, & coctiones minimè peraguntur.

Materies ergo ſtimulantis naturæ non ſolum irritando, ac penetrando diſtrabit, ac dividit machinulas villorum, verum contrahendo cum vehementia concutit totum corpus, & illud ſub prælo ponit, exprimit liquida, quæ ſi expreſſa fluunt quà poſſunt, in vaſa, ſcilicet, ſanguinis, lymphæ, & glandularum, demum per emiſſariola aliquid expreſsæ materiæ expurgatur, reliquum verò, quod retinetur, derivat in interjectos loculos, latentes inter partes, & partes, in quibus conſiſtit,

ſiſtit, cohæret, ſtimulat, vel tumores procreat, parotides, nempe, abſceſſus, antraces, bubones, carbunculos, peticulas, exanthemata, & alia mille ingenerat, ſupra omnem naturæ vim, atque reſiſtentiam, ſi tandem fluida particulis irrequietæ naturæ abundent per univerſam ægrotantium conſtructionem, inficiant oportet nervorum ſubſtantiam, unaque parlant tremores, atque convulſiones non mediocris momenti, nam memoratæ moleculæ, & aliæ illis analogæ non concutiunt ſolùm violenter ſolida, eorumque reſiſtentias ſuperant, verum etiàm fluida commaculant, & maximum excitant ſpirituum tumultum, adinſtar maris tempeſtuoſi, ac perinde eorumdem conſumptionem producunt; Ab hac itaque nimis diuturna, ac improba commotione facilè infringuntur villi omnes, facilè quælibet pars deformatur, & corpus diſſolvitur, vel quod minimum eſt in exſiccationem, atque extremam imbecillitatem incidit, quæ omnia apertè declarant, humores malignas acquirere cohæſiones, totamque naturam ſenſim carere ordine, figura, certa lege proportionis, congruentibus motibus, viribus, ac reſiſtentiis ſeparationibus reſpondentibus.

In acutis ergo morbis, in quibus per ſolidorum irritationem, & concuſſionem nimis movetur, liquatur, & confunditur, vel turbinatim fluit noxium, criſes non obſervantur, tum quia humores, & ſpiritus diſſipantur, tum quia machinulæ ſolidorum abſumuntur, vel quod idem eſt, totius humanæ fabricæ conſtructio diruitur.

EXER-

EXERCITATIO II.

De ſignis a præternaturalibus motibus, viribus, ac reſiſtentiis ſolidorum, & fluidorum depromptis, minimequè Criſes denunciantibus.

UT ægrotantium corpora acutorum labem ſuperare poſſint debent motus ſolidorum, & fluidorum aliqua proportione reſpondere, debent villi contractiles ad operandum apti, certo gaudere impetu, figura, conniſu, atque virtute, debent, inquam, certà relationis lege contrahi, & diſtrahi, perindeque noxia fluida proportionalibus motibus urgere, eorum moleculas, & cohæſiones jugiter mutare, ſeparare, atque depellere; quamobrem totum cerebri corpus cerebelli, ac ſpinalis medullæ *neceſſariò moveri* debet, ſimulque comprimi ab arteriis, quibus intexitur, ac veſtitur, ideoque varias ſeparationes, expreſſioneſve diverſorum humorum moliri. Externa etenim ſuperficies cerebri, cerebelli, ac ſpinalis medullæ poſita eſt ad contactum cujuſdam reticuli, quod ex innumeris, ac minimis arteriolis intexitur, & intra reticulum illud poſitum eſt cerebrum, cum cerebello, & ſpinali medulla; Multæ inſuper aliæ arteriolæ a pia matre prodeuntes ex ramis nempe majoribus arteriarum, quæ cavitatem cranii, & ſpinæ ſuperant, procul dubiò cerebrum, cerebellum, & ſpinalem medullam undecunquè altè penetrant, ex quo fit ut cerebrum non ſolum in exteriori ſuperficie, verum in quacunque etiam parte interiori, arteriis donatum ſit, hinc patet cerebrum cum cerebello, & ſpinali medulla, ab arteriis, quibus intexitur, comprimi; Quoties itaque arteriæ pulſant, toties comprimunt partes arteriis accumbentes; Totum igitur cerebrum, cerebellum, & ſpinalis medulla, tam quoad partes externas, quàm internas comprimuntur ab arteriis, quibus reticulum intexitur, & ex hoc motu multùm ſepara-

paratur limphæ, multum nervoſi liquoris, multumque derivat ad nervos, inde ad univerſos villos, tum pro eorum fulcimento, & motu, cum pro organorum, & viſcerum quovis munere obeundo.

Ut igitur motuum diverſitas Criſibus conſona intelligatur, præmittendum eſt, contractionem villorum (ut ex allatis conſtat) pendere a certa copia, certaque vi rareſcentium ſeminum liquidi nervorum, & arteriarum. igitur muſculi, ac villi contractiles æquo crebriùs, vel tardiùs contrahuntur, in quos crebriùs, vel tardiùs excidunt, & penetrant guttæ liberiores, vel craſſiores majori, vel minori in copia; Conſuetò ergo crebriùs excidere poſſunt guttæ è canalibus, ſi vel iidem ſint ampliores, vel ſi perſiſtente eorum anguſtia, majori, quam decet impetu liquidum fluat, & permeet; vel ſi juſto citiùs arteriæ piæ matris premunt cerebrum, cerebellum, & ſpinalem medullam, tunc citò, & præternaturaliter ingeneratur nervorum liquor, juſto citius derivat in nervos, & villos contractiles, tunc inæquali vi, & impetu contrahuntur villi, & muſculi, in quos abeunt nervi ampliores, rariùs verò, ac tardiùs in anguſtiores; quare motus villorum erunt quaquaversùm inæquales, importuni, & criſibus adverſi, immò quia per cerebrum, cerebellum, & ſpinalem medullam diſtribuuntur arteriæ, & rami capillares, earumque majores rami, & capillares trunci inæqualiter pulſant, hoc eſt, in ramis majoribus major viget preſſio, minor in minoribus, neceſſariò fit, ut liquidum majori impetu fluat per illos nervos, qui magis premuntur a truncis, & ramis majoribus arteriarum, quam qui premuntur a minoribus, & capillaribus. Poſita igitur æqualitate amplitudinis in omnibus nervis, ſi non premantur æqualiter, non erit idem velocitatis momentum, Cogita qui hæc ſedulò perpendis, quanti diſcriminis ſint in acutis, motus ſanguinis concitati, vel plus, aut minus ebullientis, quantique diſcriminis ſint preſſiones arteriarum, & facilè deduces quid contingat in villis contractilibus,

bus, in glandulis viſcerum, atque in nervis totius fabricæ ægrotantium.

Cum autem guttæ liquidi nervorum crebtiùs excidant a nervis validiùs preſſis, rarius, ac tardius ab iis, qui remiſſiùs, ac languidiùs premuntur; Cum ſingulis guttis intempetati liquidi nervorum, & interturbati ſanguinis, ſingulæ villorum, & muſculorum contractiones aptè non reſpondeant, facilè inſertur nervos vehementer, ac inæqualiter preſſos, variè concitari, atque irritari, perindeque liquidum nervorum inæqualitèr, ac violenter excidere, rareſcere, villos malè, ac inæqualitèr penetrare, minimèque guttis, ſivè ſanguinis corpuſculis reſpondere, uti obſervatur, dum partes ſolidæ inæqualitèr moventur, nituntur, convelluntur, ſive inæqualiter reſiſtunt, vel *cedunt*, uno verbo, dùm validiùs, aut *remiſſius* diverſi roboris reſiſtentiæ ſuperantur. Hoc autem diverſum robur, quod exeritur a contractione villorum, educitur a ſubitâ, ne dicam, violenta rarefactione liquidi, intra ſpatiola, quæ in membranis ejuſdem villi comprehenduntur: ſi igitur liquidum hoc, & aliud ab arteriis procedens improbè rareſcant, & intra ſpatiola, aut poros membranarum ità contineantur, ut impediant ne membranæ, poſt rarefactionem, in ſtatum ſuum redigantur, aut ne ſpatiola memorata ad priorem ordinem reſtituantur, tunc continget liquida, licet confuſa, & alterata non evaporare, ſed perſiſtere intrà villos, & loculos interjectos per totum illud temporis ſpatium, quod inſumitur, antequam vividæ particulæ vires exercentes evaporent. Hujuſmodi præternaturalis machinularum tenſio, ſivè villorum, ac membranarum levis convulſio, ſi perſeverat diù, in gradu eſt maximè valido, ſucceſſivè verò ſi imminuitur, in gradu eſt minùs valido, & tunc memorata liquida, quæ in rarefactionem venerant, ſenſim evaporant, adeoque villi, & membranæ pedetentim laxantur. In hoc non medioc*r*i rerum diſſidio, motus, vires, & relationes, figuræ, & cohæſiones, partium ordines

ordines, ac fædera non reſpondent, adeoque cribra, vaſa, eorumque oſcilla ità deformantur, ut nullam criſim admittant.

Quoniam verò ex dictis, momenta proportionalium contractionum cujuſcunque villi exurgunt a determinata copia ſanguinis, & liquidi, quod per nervos in ſpatiola villorum derivat, & rareſcit, non immeritò percipitur, motus preſſionum arteriarum piæ matris eſſe non ſolùm diſſonos, vel diſcordes, ſed quandoquè etiàm legibus naturæ ferè oppoſitos, itemque ſanguinem mille vitiis obnoxium, & liquidum nervorum ſummopere inquinatum perperàm rareſcere, tamùe inæqualia virium, ac reſiſtentiarum momenta promovere, ut criſes omnino præpediant.

Ut res tanti ponderis clariùs procedat, ſupponendum eſt medullam cerebri, cerebelli, & partem candidam ſpinalis medullæ non eſſe aliud, quam congeriem canaliculorum, per quos liquidum illud fluit, quod in cerebri glandulis generatur, hujuſmodi autem canaliculi non feruntur per cavitatem capitis, & ſpinæ, ſibi ipſis æquidiſtantes, ſed coocurrunt, & millies implicantur adinvicèm, Hic autem concurſus, aut implicatio non conſiſtit in ſola textura, & contactu extrinſeco, ſed in concurſu partium internarum, & coalitu cavitatum, ita ut nervi omnes non ſolum quoad extrinſecam ſuperficiem, verum quoad internam cavitatem communicent, Hac itaque fabrica ſuppoſita, in confeſſo eſt habendum, nervos, vel filamenta cerebri, cerebelli, & ſpinalis medullæ mutuò communicare, cavitatumque coalitu perfrui, perindeque eſt aſſerendum, liquidum nervorum in acutis, ut plurimùm male fluere, & refluere, adeoque malè refluente liquido per unum nervorum, malè etiam per reliquos confluentes derivare debere. Nam ex allatis, ſi derivat ad piam matrem major, vel minor copia virioſi ſanguinis, magis vel minus premantur oporret cerebrum, cerebellum, & ſpinalis medulla; ſimiliter ſi magis, vel minus derivat noxii ſan-

ſanguinis quantitas ad illorum glandulas, generetur oportet in illis liquidum per nervos fluens majoris vel minoris copiæ & nequitiæ; Niſi igitùr ſanguinis fluxus prohibeatur, ſimiliter, niſi liquidi nervorum fluxus retardetur, unus, & alter liquor eodem ſemper tenore, copia, & vi per eadem vaſa fluent, ſecùs vero eveniet, ſi in acutis, memorati humores tardè, aut vehementèr fluunt, ſi valdè interturbantur, maleque ſimul commiſcentur, & rareſcunt.

Omitto interim quidquid attinet ad ſanguinem, & ad examen ſolummodo revoco rem ad motum liquidi nervorum ſpectantem; Si ergo liquidum alicujus nervi in acutis ſupponatur refluere ab extremis, ſcilicet, partibus versus cerebrum, manifeſtum eſt ejuſmodi fluxum eſſe fluxui naturali contrarium, cum naturalitèr a cerebro *versus* extrema, non autem ab extremis verſus cerebrum fluere debeat; Scitu tamen dignum eſt, hujuſmodi refluxum per diverſos nervos ab extrèmis nempe nervis, verſus cerebrum re ipſa dari, quandoquidèm per diverſos nervos, hoc fieri poteſt; Atquia nervi omnes communicant, debebit liquidum, quod refluit ad confluxum reliquorum nervorum perduci, Inſuper quia acutorum tempore, liquidum nervorum in glandulis cerebri jugitèr, & ineptè generatur, & ex glandulis jugiter, & ineptè truditur in nervos, ſi fluxus ejus aliquo modo impediatur, vel retardetur, fluet, & derivabit in nervos, per quos curſum inveniet, Verum enim verò ſi præpeditur liquidi fluxus per eum nervum, per quem refluxum fieri ſupponimus, fluet intra quos nullum occurrit impedimentum, nimirum in nervos confluentes; Verùm ſi liquidum in nervos influens confuſè agitetur, atque huc illùc motibus incertis agatur, etiam in muſculos contranitentes, vel contranitente deſtitutos, incerta utiquè, & inæqualis quantitas liquidi intra ipſos derivabit, ideòque nec in æquilibrio conſiſtent, nec vires, conſentaneaſque reſiſtentias exſerent, immò incertis motibus naturæ oppoſitis agitabuntur. Quamòbrem liquidum refluens

fluens impellet liquidum fluens ſuperadditis, incertiſque motibus, quaquaverſum inæqualibus, juxtà innumeras inclinationes angulorum, quibus liquidum refluens perperàm fluenti occurrit, igitur, quomodolibet refluat liquidum ultrà naturæ leges, muſculi contranitentes, qui prius in æquilibrio, & quiete conſiſtebant debebunt a quiete recedere, & incertis motibus moveri, atque hi ſunt illi motus incerti, ſubiti, incompoſiti, periculoſi, & plerumque ſine ulla lege, & ordine ſuccedentes, ex quibus dignoſcitur, nullam poſſe ſequi criſim.

Pro varia ergo, ac præternaturali dimotione liquidi nervorum, & ſanguinis vires facientium, tam variè ſolvuntur, & cohærent particulæ peccantium humorum, ut per aſſiduam conturbationem, malamque cohærentiam fiant aliquando humores ſegnes, terreſtres, craſſi, & lenti, adeoque minus pulſent arterias piæ matris, cerebrum, ejuſque corticis glandulas, unàque minori vi, & copia ingeneretur liquor nervorum, cujus inchoamenta, infirmiores actiones, vires, ac reſiſtentias moliri debebunt, Hinc facilè exurgant oportet ſæva ſymptomata, criſes præpedientia, vel retardantia.

Ex allatis deprehenditur ſanguinem non ratò vaſculis validè adhærere, ideòque infirmiori conatu niti in majores, minoreſque arterias quòcunque protenſas, minus ſpatii occupare, perindèque minus premi, atque urgeri a particulis liquidis ſuccedentibus, ex quibus fit, ut organa miris modis lædantur, humorum intimæ mixtiones inficiantur, ſpiritus reſtinguantur, adeòque motus, vires, atque partium munera ſine criſi exerceantur.

Verùm ſi ſanguis aliique noxii humores ita in circuitu moventur, cohærent, & ſolvuntur, ut evadant æquo tenuiores, ut majus ſpatium exigant intra arterias, ut eædem æquo magis comprimant totam glandularum ſeriem, vel deforment figuram cribrorum, atque emiſſariolorum, ac veluti omnigena conſtringant vaſcula, vel præpediant certam ſpirituum generationem, ſive eorundem fluendi, ac refluendi methodum, tunc dubio pro-

procul liquida motibus, ac viribus exercendis unicè comparata, nullam reciprocationem, nullumque ordinem criticæ ſeparationis ſervabunt.

Interdum contemeratæ humorum moleculæ, licèt nimis mobiles, nimiſque ſalſis, acidis, igneis, ac ſtimulantibus ſeminibus cumulatæ, in jugi circuli latione a viſcidis, & craſſis particulis cohibentur, ne in plenam libertatem veniant, ne violentèr agant, irritent, valdèque offendant ea quæ tangunt, licet non parum devinciantur, memoratiſque igneis ſcateant inchoamentis, quibus ſe exercere ac niti non poſſint, tamen ſi vis contractionis atque preſſionis ſit major omni implicationis vi, quà irretiuntur, & involvuntur, poſt varios preſſionum conatus, poſt juges dimotiones, diverſaſve cohæſionum novationes, tandem ſine ordine erumpunt, adaugent motus, & velocitates, *irruunt* quaquaverſum, cuncta penetrant, *ſuperadditam* vim ubique exercent, immò ubique occurrunt, adverſantur ſolidis, ea ſtimulant, commovent, & luxant, cum tanto fæderis detrimento, motuum confuſione, & virium jactura, ut nullum appareat ſignum criſim denuncians. Neque hic eſt rei practicæ finis, nam ſi viſcidæ humorum particulæ hæreant arteriolis, ſive fibrarum criſpaturis, & villorum loculis, indeque aliæ novæ moleculæ continenter adveniant, facilè minima replentur vaſa, facilè fibræ, & villi contractiles infarciuntur, ideòque hic ſolvi & exprimi non poſſunt cohærentes particulæ tam a ſanguine ſuperaffluente, quam a languida vi contractionum arteriarum, & villorum reſiſtentium ſeparationi peccantium humorum. At ſi contractionis preſſioniſque momentum ſit majus momento cohæſionis viſcidarum particularum, ſolventur è carceribus earumdem moleculæ liberiores, quæ in ſingulis villis ſuſcitabunt ſenſum moleſtæ irritationis, aut divulſionis, immò producent per totum corpus ingentem calorem, ſive veriùs ſolvent ignis particulas ubique ſparſas, ita ut è vinculis ſolidorum proſiliant, non ſecùs ac per ignem ligno admotum,

 facilè

facilè ab eodem ligno novum excitamus ignem, ſic a libertate moleculatum liquidarum pravæ indolis, vel igneæ naturæ excitabitur majus febris incendium, nunquam vero criſis.

Nemo ignorat plus vel minus in acutis viriari ſanguinem, ejuſque ſubſtantiam eſſe naturali majorem, vel minorem, Si eſt naturali minor, imminuantur neceſſe Inſtaurationes, motus, vires, ac reſiſtentiæ, item imminuanrur neceſſe eſt regenerationes, cum partium, tum humorum, extenuentur ac deformentur neceſſe eſt cribra, & ſolida cuncta, demum deficiant oportet exitialium ſeminum dejectiones; E contra ſi quantitas ſanguinis eſt naturali major, arteriæ erunt conſueto pleniores, pulſus duri, ſimulque membranæ arteriarum parum flexiles, nam ſanguis ferè conſtipatus in vaſculis ſuis, non abſimilis congeſtionis quodammodo fit, ac pulvis bellicus conſtans impuriſſimis ſeminibus, qui ignem non concipit, ſi eſt ſummopere preſſus, & humidirate ditatus, tunc adeo quaſi infarctu arteriæ laxantur, & quaquaverſum tenduntur, ut nequeant ritè contrahi, & diſtrahi, cujus cauſa fit, ut pulſus parvi, duri, crebri, ac inæquales fiant, reſpirationes conſueto frequentiores, ac difficiliores, quia villi contractiles vaſculorum aeris, & ſanguinis quodammodo tenduntur nec facilè reſtituuntur, Quamobrem copioſa humorum materies malis referta principiis, malè per nervos fluet, & in villos derivabit, quinimmo machinulas villorum tenſas, ac tremebundas reddet, inſuper plenitudo hæc tunicas arteriarum extrorſum trudet, & quaſi ope hujus conatus ſub prælo ponent arteriæ quidquid venit ad earum contactum, & ſic in tota fabrica depellitur multum etiam neceſſarii, ac utilis humoris ſine tolerantia, ac conferentia, ſeu, quod in idem recidit, ſine vera criſi.

A copia autem ſanguinis ſatis mobilis ægri corpus circumundique gravatur, & offenditur, glandulæ, nimirum, nervi, omnigena vaſa, atque cribra adeò urgentur, & deformantur, ut naturalis non ingeneretur liquidi

quidi nervorum quantitas, nec lutulentæ cauſæ ſeparatio peragatur, Prava ergo ſucci nervorum ſubſtantia, quæ ingeneratur, & malè per nervos fluit, debebit perperàm rareſcere, ideòque ſuperadditam contrahendi vim ſemper magis adaugere, unàque ſine relationis lege humores indeſinenter ſolvere, atque ineptè conjungere, & propter hanc pravam ſolutionem, & cohæſionem, debebit in libertatem venire quidquid producit velocitatem, impetum, atque calorem. Debebit ulterius ſanguis particulis nimis liberis ita ebullire, ac intumeſcere, ut non levis exoriatur irritatio in villis cordis, & arteriarum, ſimulque ſtimulus, ſive moleſtus contactus in tota ægri conſtructione, cujus vi adeo convelluntur, ac veluti luxantur villorum machinulæ, nullaque certa lege moventur ſingulæ partes ſolidæ, ut nullum oculis, ac menti obverſetur ſignum, quod valeat criſim *denunciare*.

Si ergo a jugi ſtimulorum vi ità irritantur, & convelluntur villi, vaſa, nervi, membranæ, & glandulæ, non ſecùs ac fides tenſæ, aut telæ madidæ, ſeu ſpongiæ aqua imbibitæ, ac ſub prælo poſitæ, tàm variis modis divelluntur, & concutiuntur memoratæ partes, ut quælibet machinularum textura, vel quod in idem recidit, corpus totum non parum humoris eliminent, atque expurgent, facilè propterea fit, ut ab expreſſione imminuatur neceſſarius humor, hinc tutò quiſque affirmabit diſſipari humores, ac ſpiritus, itemque partes ſolidas nullam figuram, proportionis legem, virium, ac reſiſtentiarum relationem ſervare, ac idcirco nullam ægris ſpem criſis remanere.

Hoc idem prorſus evenit, quando in acutis à continuo & inæquali influxu ſpirituum, ac ſanguinis producitur vehemens impetus, adinſtar fluentium, ac ſuperaffluentium undarum, quarum una, tam in proceloſo mari, quàm in tumido torrente aliam urget, vel una alteri ſuperequitat, Per hunc continuum, ac vehementem impetum villi contractiles, forsàn nimis abbreviantur,

tur; & fluida, quæ vires faciunt, & ſuperaffluunt, nimis forſan nituntur, nec permittunt villis contractilibus aptam, ac ſubitam reſtitutionem, tum quia villi cedunt extrorſum, nec ab contactu illo convulſionis removentur, tum quia ſpiritus, vividioreſque particulæ ſanguinis ubertim in ſinulos excidunt, antequam villi reſtituantur, ſed ſtatim ac excidunt actuoſi humores, illicò rareſcunt, villos penetrant, eos plus æquo tenſos, & convulſos reddunt abſque ullo ſigno futuræ criſis.

Si ergo memorata ſemina nimis actuoſa ità turbantur, ut ſine ordine ſolida penetrent, adinſtar fulminis, vel accenſi pulveris pyrii, ac idcirco abſorbeant plurimum humiditatis, vel exſiccent, aut quodammodo uſtulent villos contractiles, & figuram illorum deforment, ſive fœdus diſſolvant, illico exſurgat oportet tanta motuum confuſio, tanta virium exſolutio, partiumque extenuatio, ut unio, & mixtio pereant, ſimulque pereat omnis criſis ſpes: In ſuperaddiriſque motibus, adauctiſque velocitatibus peccantium liquidorum, juſto fluxiliores fiunt pravæ eorum moleculæ, quæ non ſolum eo quo ſcatent niſu quamlibet unionis reſiſtentiam ſuperant, verum etiam earum momentum fit majus eo fœdere, quo mutuò copulantur, ſive fit majus eo virium munimine, & conniſu, quo ſolida adinvicem reſpondent, nam ſicut ingens calor a confricationis motu, & ab incurſu igniculorum productus, æquè ceram, ac metalla cedentia, & flexilia reddit, ita præternaturalis calor per aſſiduum confricationis motum, & æſtum, ſive per attritionem partium ſolidarum eliquat, extenuat, vel diſſolvit texturam machinularum ſolidarum unàque diſſipat ſetoſas particulas fluidorum, cæteraſque moleculas humores componentes invertit, quorum ſubſtantia mutationes valde noxias patitur, quæ motus omnes confundunt, & ſeparationes criticas tollunt.

In motibus itaque acceleratis, ægri corpus, quod ex innumeris villis contractilibus conſtat, diu moveri non poteſt, quin abradatur, ac valdè abſumatur, item fluida,

fluida quæ moventur, per vehementem impetum impreſſum a violenta villorum contractione ſummopere conteruntur, & rareſcunt, adeòque cuncta filamenta pervadunt, ut corpus quodammodo eliment, atque extenuent, ex quo fit ut membranarum villi, quibus vaſa componuntur, dimoveantur, ac ferè divellantur, fit, inquam, ut membranæ, in quas incidit, vel irruit liquidum noxium, non parum patiantur, & in ſingulis punctis occurſuum reſiſtentiam amittant, ac diſſolvantur; In medio ergo tot motuum deponunt ſolida ſædus, virium relationem, conſuetamque contrahendi, & diſtrahendi vim, immò deponunt vaſa ubicunque implexa, & glandulæ, & cribra quaquaverſum conſerta figuram, unionem, & uſum, ita ut ſolida ipſa deformentur, malè urgeant fluida, perindeque *perperam illuſtrentur* a fluidis *vim exerentibus*, cujus cauſa fit, ut nulla criſis appareat.

In vehementi humorum circulo, infeſta acutorum ſemina malè cohæſiones novant, & contactuum reſiſtentias ſuperant, & licet indeſinenter conjungantur, & ſolvantur, non poſſunt tamen in eam cohærentiam venire, quæ valeat materiam peccantem a ſana ſeparare; quoties ergo motus adauctus, & incompoſitus agitat, & concutit ægri corpus, toties perperam commiſcentur, & confunduntur pernicioſa ſemina, toties violantur jura naturæ, & evertuntur reciprocationes ſeparationibus rei noxiæ conſentaneæ.

Tamdiu igitur acutorum materies diuturnum facit morbi principium, periculoſumque oſtendit morbi exitum, quamdiu diſſonis motibus, diriſque ſymptomatibus æger vexatur, quamdiu acerba materies magna, & mole, & virtute non concedit patienti nec quietem, nec certum locum, in quo perſiſtere poſſit, Hæc porrò cauſa, non mediocrem fert cruditatem, preſertim ſi motu nimis expedito, vel nimis lento, ac tardo ſcateat, nam, ſi iners eſt, ſiſtit quaquaverſum congeritur, infarcit, tendit, & convellit ea, quæ tangit, immò indurat,

durat, & decurtat villos, & nervos, ad inſtar funis madidi tumoroſas, & madidas reddit glandulas, poros, & oſcilla vaſculorum obſtruit, ſpongioſiſque inanitatibus, ac internis ſuperficiebus perperam adhæret, ex quo fit, ut fluida aptè non fluant, ſed quaquaverſum quamdam limi ſpeciem deponant. E contra verò ſi atrox materies eſt nimis fluxilis, fervida, & ſtimulantis naturæ, magno conatu impellit, & vaſa extendit, ſi verò eſt acris, ac erodentis indolis irritat, abradit, tendit adeòque concutit villos contractiles, ut eos exſiccet, coriaceos reddat, vel membranas ultrà naturæ modum luxet, perindeque ſigna futuræ criſis abroget. Infeſta denique acutorum materies nimio furore percita omnia permeat, humiditatem diſſipat, eamque cito in auras reſolvit; Quodcunque eorum contingit adeo ſolida violantur, & liquida inquinantur, ut vires facultates, & reſiſtentiæ mutuò non reſpondeant, & ſigna futuræ criſis deliteſcant.

Criſis, ut docta ſcripſit antiquitas, in humorales ſolummodò cadit morbos, quorum percipere novationes eſt difficile, nam in motu, copia, ſivè choæſionum ordine conſiſtere videntur; ideòque nemo ignorat maximam preſſionis vim, maximamque liquidorum velocitatem illas cohæſiones mutare, imminuere, ac violare organorum uniones, vires, ac reſiſtentias, ideòque evertere mixtionem criſibus accommodatam. Obſervationes practicantium docent tyrones, preſſiones memoratas, & a pravis ſeminibus ortas nimio conatu agere, violentiam inferre ſolidis, eaque paulatim deformare, aut infarcire, velocitates itidem æſtuantium humorum noxiâ, & vehementi percuſſionum vi pulſare, ſcindere, ac veluti exurere machinulas, earumque humiditatem abſumere; Quomodo ergo in exſolutione ſtructuræ ſolidorum, in carentiâ proportionalium motuum, virium, ac reſiſtentiarum, in actionum, & facultatum læſione, ſive veriùs in confuſione innumerabilium contractionum, & diſtractionum, quomodo, inquam, certa veræ criſis

criſis ſigna produci poſſunt? Si tam variè offenduntur, & contemerantur ſolida, ſi tam variè noxia, ac lutulenta labe afficiuntur fluida, ſi eorum ſemina jugiter interturbantur, quomodo poſſunt reciprocationibus gaudere, & criticæ ſeparationis opus moliri, quomodo demum ſi liquida perperam, & ineptè miſcentur, & fluunt, ſi ſolida eorum fluxibus non cedunt, nec inflectuntur, ſi utraque privantur figura, ordine, motu, & ſitu, quomodo poſſunt mundari, & noxia foras expellere?

Quoties ergo in acutis ſymptomata mali moris actiones, & facultates ſummoperè offendunt, quoties ſudores frigidi, ſive calidi, ſine conferentia, & tolerantia apparent, quoties ſuſcitantur vomitus, ſingultus, convulſiones, tremores, tumeſcentiæ abdominis, tormina, tuſſes, anguſtiæ pectoris, *cum difficili* reſpiratione, & *anhelitu*, quoties producuntur capitis dolores, tinnitus aurium, ſurditates, ſomni pernicioſi, vigiliæ, deliramenta, ſenſuum internorum, atque externorum depravationes, vertigines, & cæcitates, quoties obſervantur linguæ ariditas, nigredo, ſitis inextinguibilis, partium torpor, cutis aſperitas, peticulæ, parotides, exanthemata, anthraces, bubones, carbunculi, virium languor, ſyncopes, urinæ ardor, *calor* exurens cum mingendi difficultate, demum quoties pulſus fiunt inæquales, undoſi, deficientes, caprizantes, & innumera alia hujus generis medentium oculis obverſantur, toties practicantes in eam tutò venire poſſunt ſententiam, ut credant acutorum labem nimis inficere ſolida, & fluida, adeòque præpedire criſim.

EXERCITATIO III.

Prænotiones præpeditæ, vel retardatæ Criſis in acutis deſumi debent a læſo ſolidorum textu, ab eorum præternaturalibus viribus, ac reſiſtentiis, necnon a diris ſymptomatibus ægrum divexantibus.

Villorum contractilium filamenta, quæ organa cuncta compingunt, tam variè in acutis deformantur, ut hic variis ſtimulis malè contrahantur, diſtrahantur, rigeſcant, & intorqueantur, vel tumeant adinſtar corii ſicci, immò ut hic laxentur, illic hebeſcant, omnique motuum proporrione, figura, ſuperficie, ordine, ac ſitu deſtituantur, quare glandularum vaſa, & machinulæ vaſorum, emunctoriaque univerſa, quaſi gelu contaminantur, & præcluduntur, perindeque membranæ dureſcunt, earum villi tenduntur, tremunt, cæteræque partes ſpongioſæ, pori, meatus, cribra, & ſpiramenta cutis circumundique madeſcunt, obſtruuntur, ac veluti limoſo humorum glutine obducuntur, ideòque ad noxia ſeparanda inidonea fiunt, non ſecus ac vinariæ caligæ, craſſo vini ſedimento valdè pollutæ, quæ vini ſubſtantiam non purgant, dummodo ritè non eluantur; Vaſa igitur aeris, ſanguinis, & liquidi nervorum, cæteraque minutiſſima vaſcula, quæ non ſunt in eorum cenſu, pervia ſcilicet, aut impervia poſſunt tum a turbinoſis, ac vehementibus, cum a lutulentis, tardis, parumve mobilibus liquidorum principiis inſignes pati mutationes virium, reſiſtentiarum, atque mixtionum, primùm ſcilicet fœdus amittere, infarciri, exſolvi, exſiccari, minimèque flecti; Poſſunt a non levi liquidorum vitio, eorumque jactura tremere, aptis flexionibus, viribus, & motibus carere, proptereàque extenuationem, duritiem, tenſionem, & ordinem naturæ legibus oppoſitum acquirere, ex quo fit, ut vaſorum oſcilla, motus villorum, figuræ, vires, ac reſiſtentiæ adinvicem non reſpondeant,

deant, adeòque pereant conditiones criſibus neceſſariæ.

Vigente ergo acuto morbo, ſi villorum contractilium conſtructiones vi fœderis machinularum, & conatus earundem non frænant impetum liquidorum, eiſque aliquantulum non reſiſtunt, ſi ſuperadditas velocitates, moleſtos contactus, & confricationes non ſuſtinent, tunc vaſa continentia, & noxia contenta, tam improbè urgent, & adinvicem urgentur, tam malè agunt, & vim patiuntur, ut villi contractiles jam læſi, nec parum laceſſiti, reſiſtentia, atque agendi munere priventur, perindéque noxia liquidorum tyrocinia magis conturbentur, ineptaque ſeparationibus reddantur, Non poſſunt itaque vaſa miris modis in tota ægri fabrica implicata, & polluta gaudere mero mechaniſmo, debito motu proportionis, certâque agendi virtute, non poſſunt ſuperare, vel ſaltem æquare vires malè rareſcentium liquidorum, nec frænare, nec aptè illis reſiſtere, nec tollere, & imminuere adauctum momentum contemeratorum ſeminum, irruentium in ſingulos villos, ferè exſolutos, ex quorum læſa ſtructura, ac deformitate omnino præpeditur noxii ſeparatio, ſive Criſis.

Verumenimverò ſi actuoſa liquida malè adinvicem agunt, nec amicè rareſcunt, neque reſpondent, facilè diſſipantur, evaporant, & vires, ac reſiſtentiæ pereunt, quod item evenit, dum memorati liquores ſubigunt lentorem in ſingulas plicas, rugas, ac villorum inanitates contentum, tunc lutulenti humoris coalitum, ac reſiſtentiam non ſuperant, immò ejus glutinoſis vinculis adſtringuntur; Hinc exoriuntur contemerationes partium ſolidarum, ac veluti earumdem confractio, non levis moleſtia, gravitas corporis, ac myriades innumerabilium ſymptomatum, quibus adimuntur Criſes.

Præternaturales ergo vires, ac reſiſtentiæ ſolidorum oſtendunt in acutis viſcera, & organa cuncta eſſe non mediocri labe violata, oſtendunt haud ſervare motuum proportionem, naturalem texturam, conatum, nec debitum agendi munus, oſtendunt totam ægri fabri-

cam parùm vel nihil frui (ne dicam offici) præſentia agentium liquidorum, quorum ſubſtantia, dum ſolida permeat, & penetrat, ea quodammodo elimat, diſcindit, vel exurit, ideoque in tenuiſſimas reſolvitur auras, eodemque ferè temporis momento, quo pereunt ſpiritus, pereant oportet vires, ac reſiſtentiæ, cæteręque conditiones Criſibus neceſſariæ, Si ergo ſolida actuoſis liquidis non reſiſtunt, ſed ab eis ſuperantur, quiſque medica diſciplina leviter initiatus percipit vaſa impervia pervia fieri, poros, meatus, oſcilla, evaporatoria, filtra, & cribra mutare diametrum, conſtringi, vel occludi, percipit rectos, aut tortuoſos ductus, plicaturas, ac rugoſitates membranarum laxari, aut convelli, glandularum glomeramina inquinari, dureſcere, humorumque malæ indolis congeſtionibus repleri, abſqueeoquod humores peccantes conformari poſſint emiſſariolis, ac diametris vaſorum, utèque ſeparari.

Hæc omnia abundè ſuadent imminui, aut deleri reſiſtentias partium ſolidarum, hoc eſt modicam, aut nullam ſupereſſe vim fæderis, ideòque non coerceri violentos impulſus malè agentium liquidorum, Suadent malè moratas agentium liquidorum particulas, adinſtar aquæ fortis, calcis, vel ignis penetrare, convellere, aut coriaceos reddere villos contractiles, paulatimque infirmare facultates, vel obliterare villorum contractilium agendi vim, quod potiſſimùm fit, dum corpus langueſcit, exſiccatur, ſive alluvione quodammodo afficitur, dum polluti humoris congeſtione quaquaverſum interpoſiti, laborat, dum corpus aptà caret agentium liquidorum copia, dum abundat ſtimulis ſalſis, nimirum, acidis, ſulphureis, vel erodentibus ſeminibus, dum tandem infeſta humorum ſeries, quaſi ſarcina gravat ægrum, ejuſque machinulas removet ab eo, quo prius, ordine, ſitu, atque agendi munere.

Porro vires tunc pereunt, & ceſſant reſiſtentiæ, quæ oriuntur a longitudine, ac brevitate canalium, ſimulque ceſſant aliæ, quæ veniunt a tortuoſis ductibus glan-

glandularum, ab angulis, & flexionibus cujuſcunque ramificationis; Verùm ſi ſingulæ ſolidorum reſiſtentiæ pereunt in vaſculis obliquis, varièque intortis, ſive rectis, aut in girum ductis; aſſerendum eſt deſinere ſemina, quæ vires faciunt, unaque deſinere contractionum, ac diſtractionum momentum, itidemque preſſionum, & circumpreſſionum energiam, ac idcirco deſinere reſpondentes motus, & vires noxia ſeparandi, Aſſerendum denique eſt, principia liquidi nervorum, & ſanguinis eſſe impuritatibus refertiſſima, quorum cauſa langueſcunt, ac veluti diſſolvuntur fibræ, & vaſorum villi, immò tolluntur rugæ, laxantur plicaturæ membranarum, & flexiones vaſorum, adeòut canales per viſcera, muſculos, & membranas repentes ſummopere lædantur, & Criſes non ſolum retardentur, ſed omnino præpediantur.

Quoniam verò *acutorum* prænotiones non a læſa *ſolum* textura ſolidorum, aut ab eorum viribus, ac reſiſtentiis, verùm etiam a ſymptomatum ſerie dirè ægros torquentium deſumuntur; Conſentaneum videtur ea in medium afferre, quæ in praxi facienda portendunt tam criſes præpeditas, & retardatas, quàm longitudinem, aut brevitatem morbi, ſalutem, aut mortem ægrotantium, quod potiſſimùm percipitur ex morbi pertinaci reſiſtentia, contra omnia genera remediorum, inde ex ſiti inextinguibili, ex ſiccitate cutis, oris, linguæ, & narium, ex nigredine linguæ, & palati aſperitate, ex ſorde cum cruſtulis in ore, naribus, & faucibus, ex appetitu deleto, nauſea, vomitu, & ſingultu, percipitur ex dolore, vel anxietate circa ventriculum, ex alvi dejectione fætida, tenui, ſive aquea, & ſeroſa, corpus colliquante, aut vires reſolvente, percipitur ex urinis præpeditis, vel paucis, tenuibus, ſpumoſis, rubris, ac nigerrimi coloris, ex ſudore frigido, viſcido, ac fœtido circa caput, & collum ſine levamine, ex pulſu celeri, inæquali, duro intermittente, myuro, decurtato, atque deficiente, percipitur ex reſpiratione conci-

concitata, anheloſa, ſublimi, cum dolore, & moleſtia totius machinæ thoracis, ex ſurditate, mentis alienatione, delirio, aut furore, ex ſomni carentia, nec non perturbatione ægri poſt ſomnum, & ex totius corporis labore, percipitur ex ſanguinis mictu, exſcreatu, vel exitu per alvum, itemque ex ſtillis atri, vel nigri cruoris ex naribus, percipitur ex involuntario linguæ, labiorum, capitis, & manuum tremore, ex levi, vel forti convulſione, anxietate, interno ardore, vel reſolutione membrorum, ex decubitu ſupino, ex pedum, & manuum jactatione, vel quavis membrorum nuditate, denum percipitur ex lacrymis involuntariis, ex oculis in unicum objectum fixis, ex eorum ſiccitate, cum viſionis privatione, ex fœcum exitu ſine ullo ſenſu, ex collectione palearum, vel cujuſvis falſæ materiæ, ex maculis purpureis, varieque coloratis peticulis, ex vitium lapſu, ex puſtulis, parotidibus, abſceſſu, anthracibus, bubonibus, carbunculis, & exanthematibus.

Qui bene praxim callent, ſciunt quovis acutorum tempore vires, ac reſiſtentias fluidorum, ac ſolidorum parum, vel nihil relationis mutuô retinere, ſciunt vires, ac reſiſtentias diſcordes, adauctas, vel imminutas ſolida ipſa, hic cedentia, ac fere cerea, illic dura, & inflexilia reddere, itemque fluida hic turbida, inertia, ac polluta, illic nimis libera, ignea, atque nimboſa, æqualis eſſe momenti ad auferendas, vel retardandas Criſes, ſive verius ad continendas malas humorum congeſtiones tam in abditis glandularum, viſcerum, & nervorum latibulis, quam in vaſculorum finibus, in villorum ſpongiolis, ſeu in machinularum inanitatibus contentas, aut tumulatas; ſciunt tardas, acceleratas, ac turbinoſas velocitates liquidorum mali moris, nimirum ſucci nervoſi, & ſanguinis vehementer irruere in villos muſculorum quaquaverſum adſtruentium organa, eaque depravare, vel agendi uſum imminuere, aut abolere; ſciunt muſculos cordis modo cito, modo tardè, atque inæqualiter contrahi, & diſtrahi, itidemque motum

tum pulmonum fieri crebrum, difficilem, ac anhelofum, pariterque thoracis, & abdominis muſculos, exolvi, tendi, & convelli, adeoque ſolida cuncta plus, vel minus violari, & ea qua decet motuum proportione, ſive viſium, ac reſiſtentiarum relatione carere, ac idcirco ea non obire munia, quæ criticis ſeparationibus videntur opportuna.

Quare poſt vitium fermè impreſſum in ingentem vaſorum, & cribrorum multitudinem magis confunduntur, & fædantur fluida, magis ſtimulantur, & deformantur ſolida, ita ut ſymptomata memorata, & alia plura exſurgant, quæ valent præpedire, vel retardare Criſes.

EXERCITATIO IV.

De Probabilioribus notis peccantium cauſarum, Criſes non admittentium.

QUemadmodum valetudinis tempore mechanica latet ratio, qua rite ingenerantur humores, qua novantur, aluntur, ſeparantur, ac dejiciuntur, qua actiones, vires, ac reſiſtentiæ abſolvuntur, qua innumeræ propemodum fiunt productiones humorum, ſpirituum, & partium, ita nos quoque mechanica latet methodus, qua tutò incedendum eſt ad perceptionem tum indolis peccantium ſeminum, ac cohæſionum, cum innumerabilium ſymptomatum, quibus ægri corpus diverſimodè torquetur; Probabili itaque, ne dicam, obſcuro progreſſu hic revocandum eſt ad ſingulare examen noxium illud, quod humores tàm mirè depravat, & violat, quodque tam pernicioſos parit effectus, hinc nonnulla deducenda ſunt ex rationum criterio, alia ex practicis obſervationibus, & alia ex cadaverum ſectionibus, quæ in tam denſis tenebris, tantillum fortaſſe lucis, atque utilitatis rei practicæ cultoribus afferre poſſunt.

Quoniam in adauctis liquidorum velocitatibus, in ſupe-

ſuperadditis, concitatiſque motibus, ſive villorum perturbatis impulſibus, ac moleſtiſſimis irritationibus, quarum vi ægri quieſcere neſciunt, certoque loco ſtare, multum malignantis liquidi per nervos, multumque contemerati cruoris per arterias derivat ad villos contractiles, cum violenta diffuſione, cum villorum importuna, ac vehementi contractione, & diſtractione, cum nimio conatu, ac vehementi machinularum exſolutione; facilè fit ut malè urgeantur humores, & confundantur, cum tanta depravatione contactuum, cum tali offenſione figuræ, ordinis, virium, ac reciprocationum, ut nulla ſit pars, licèt minutiſſima, quæ dirè non vexetur, ac tremebunda fiat, nullumve ſit fluidi genus, quod valdè non inquinetur, ſolidis non adverſetur, & criſes non præpediat.

Superadditi etenim motus, magni plerumque fiunt in acutorum principio, majores in progreſſu, magis, magiſque incompoſiti, & periculoſi in ſtatu, quo tempore ſummopere accelerantur indomabiles particulæ, & violentæ ſupra naturæ vires fiunt velocitates, ideòque perperam, & peſſimè actuoſi humores diffunduntur, copulantur, & disjunguntur noxiæ particulæ, immò in repetitis contractionibus, & diſtractionibus vaſorum, ſenſim villi omnes ita eliminantur, & diſſolvuntur, ut abſumantur liquida vires exſerentia, & alia ægrotantium corpori ſummopere neceſſaria.

Tandiu etenim durat hæc lucta, quandiu durat noxium, ſeſe ubique diffundens, & propriis ictibus, & ſcabris moleculis, quibus abundat, alias particulas benè, aut malè cohærentes abripit, agitat, & diſperdit, quandiu villorum fabrica liquidis perperàm fluentibus adeo cedit, ut diſſolutio ſubſequatur. In hac rerum diſſonantia, pulſus fiunt crebri, ſive celeres, & inæquales, reſpirationes frequentes, ac difficiles, aut intercisæ, ſudores copioſi, frigidi, inæquales ſemperque perniciosi, urinæ parcæ, colore ſaturæ, ſivè igneæ, aut nigræ, crudæ, tenuiſſimæ, & non rarò confuſæ, lingua arida,

arida, inflexilis, aſpera, atque rugoſa, uti pluries aſſeruimus, ex quibus infertur organa cuncta multifariàm concuti, tremere, omnemque prorſus amittere reciprocationem coctioni, vel ſeparationi congruentem.

Quando igitùr liquida acutorum labe violata, & in vaſculis, nervis, aut villorum inanitatibus contenta, & ubique circumfuſa ſunt momenti majoris momento cohæſionum, ac reſiſtentiarum cujuſcunque partis ſolidæ, quando ultra naturæ modum augentur, vel diminuuntur cohæſionum fœdera, quando confunduntur vividiores moleculæ, perindeque motus, figuræ, & ordo proportionis tolluntur, tunc profecto ultra modum commaculantur humores, adeoque, deformantur ſolida, ut illa irruant violenter in machinulas, ſolidaque cuncta inverrant, ut hæc opportuna vi, & apta agendi ratione, ac ſeparandi munere priventur.

Pro diverſa itaque vi, temperie, indole, ac turbata liquidorum *dimotione ſolv*untur eorum ſemina, rurſus diverſimode componuntur, ſed inter diverſus compoſitionis, ac ſolutionis modos ea exſurgunt, quæ rariorem, ac denſiorem ſubſtantiam conſtituunt. Hæc tamen eſſe poſſunt tam diverſi gradus, ut peccantes humores leviter, aut multum rareſcant, aut evaporent, ut leviter nitantur, aut multum cohæreant, vel concreſcant, ac propterea occupent majus, vel minus ſpatium, cum non mediocri læſione humorum, & partium, ſeparationumque jactura, Quamobrem obſervant Practicantes præternaturalem rarefactionem prius tollere, inde impedire niſum in contactum; obſervant omnigenos humores in dies magis attenuari, evaporari, univerſamque fabricam abſumi, tandem obſervant villos, & fibras, aliaque ſolida dureſcere, adinſtar telæ glutine illinitæ, vel picturatæ. Quo magis ergo ſolida dureſcunt, & ad rigidum accedunt, eo magis tardi, & inepti fiunt motus, ac præpediuntur operationes: Sed quo magis læduntur operationes, eo magis dureſcunt villi, & lutulenti fiunt humores, ideòque minori ſemper velocitate fluent, membranæ, & villi obrigeſcent, minus fle-

cti poterunt, & ſic ęger ſine criſi peribit.

Quoties ergo noxię liquidorum particulæ in malam veniunt dimotionem, minuſque adinvicem nituntur, totiès ope minoris conniſus ſeparationes, ac depurationes vitiari, imminui, ac tolli poſſunt, nam imminuto, valdeque depravato motu, atque conniſu particularum fluidarum ita imminuantur, vel ſupprimantur oportet ſeparationes liquidorum, eorumque derivationes in nervos, & villos contractiles, ut ſolidum, & fluidum conturbetur, adeoque motibus, ac viribus aptè exercendis non ſufficiat, Ex quo fit, ut ſœderis, ac reſiſtentiarum languor, ſimulque vaſorum lapſus ſuccedant, perindèque viſcerum, & glandularum vaſcula propria munia obire nequeant, Per malam itaque dimotionem particularum liquidarum, & niſum tam validè rareſcunt, & ſpatium tam grande intra majora vaſa ſuapte natura illæ exigunt, ut nervos æquo magis comprimant, ac ferè canales glandularum occludant, ut malæ indolis, & parvæ copiæ ſpiritus ingenerentur, adeòque perperàm per nervos fluant, refluant, & confluant, quà poſſunt; Quo tempore, vel reſtinguuntur, evaporant, aut pereunt vividiora ſemina nervos accolentia, quorum jacturâ organa motibus, viribus, ac ſecretionibus exercendis unicè comparata criſim moliri nequeant.

Quoniam verò naturalis ſeparandi ratio, ut in propoſitionibus ad criſes ſpectantibus oſtenditur, conſiſtere videtur in certo ordine, figura, ſitu, motu, atque agendi conſuetudine, ſivè reciprocatione ſolidorum, & fluidorum, facilè percipitur privationem harum conditionum offendere vires, turbare motus, alterare reſiſtentias, ac tollere proportionem, conniſum, perindeque vim ſeparandi, ac depellendi noxium.

Scitu tamen dignum eſt, dupliciter vitiari naturæ ordinem, vel quia aliquæ tantum fluidorum particulæ, vel quia aliquæ ſolum machinulæ ſolidorum a naturali ſtatu recedunt, cæteris benè perſiſtentibus, vel quia a naturali mixtionis, contactus, ac fœderis ordine dimo-

ven-

ventur omnes; ſi primum contingit, Natura vim patitur, ſed aliquo modo reſiſtit, & munia ſua obire poteſt, ſi ſecundum, valdè quidem patitur, ſed non reſiſtit, nec functiones proprias peragit, hinc patet acutorum ſemina lædere ſolida, & inquinare fluida, patet, inquam, irritare, ac leviter luxare organa cuncta, ſimulque deformare, & violare univerſa fluida, adeout plus juſto hæc pulſentur, conturbentur, & fluant, illa diù oſcillent, tremant, & convellantur, ac propterea agendi neceſſariâ ratione deſtituantur, Ex allatis deducitur non cohiberi liquidorum velocitates, non frænari vehementes earum particulas, non imminui vires adauctas, non moderari, nec tolli tremores, convulſiones, pravoſque contactus, criſibus adverſos, deducitur ex his *non arceri, nec novari* noxias moleculas vitriolicas, ſalſas, acidas, & igneæ naturæ, nec demùm coerceri ſtimulos, atque irritationes, impellentes plus juſto partes coctionibus deſtinatas, Ergo ſi vitioſa ſemina acutorum in circulari motu diffunduntur, turbant eâ qua ſcatent vi, aut urgent, vel concutiunt ſolidum, illudque ſemper magis, ac indeſinenter offendunt, penetrant convellunt, vel ſiccant, ita ut claudant oſcilla vaſorum, & glandularum cribra ſeparationibus apta, tunc practicantes cognoſcunt naturam criſim moliri non poſſe.

Verum enim verò ſi ſtimulorum vires ſolida cuncta plurimùm concutiunt, aut divellunt, quid illicò non mali timendum? Similiter ſi concitationes, cohæſionumque mutationes exſurgunt, ità ut immodicæ fiant fluidorum expreſſiones, quid, inquam, non mali timendum? Porrò facilè intellectu eſt morbi virulentiam, motus incompoſitos, ſuperadditos, incertos, ac periculoſos, vel ſine proportione perſolutos naturæ vires, ac reſiſtentiarum jura valde depravare, ideoque bonam tollere, malamque cohæſionem ponere, nimirum cuncta diſſolvere, & perperam componere, vel intervertere, ita ut pereant quæ neceſſaria recenſentur ad tollendam, vel ponendam cohæſionem criſibus congruentem;

At ſi jugi ſtimulorum vi turbationes, concuſſiones, & novæ ſemper productiones fiunt in humoribus, & machinulis ſolidorum, certum eſt memoratas novationes eſſe incertas, ac veluti infinitas, certum eſt haſce varietates eſſe valdè ægris moleſtas, & noxias, cum totam maſſam humorum, vel modicam eorum partem violent, cum ſolida cuncta, aut aliquam viſcerum partem dolenter pungant, luxent, ſive a conſueto agendi ordine removeant, & criſea præpediant.

Practicæ obſervationes dilucidè oſtendunt, deterrimas acutorum mutationes ſiſtere plerunque in procelloſo impetu liquidorum, ſive in ſuperaddito momento molecularum in libertatem venientium, quarum vi offenduntur nervi, diſſolvuntur, ac veluti perterebrantur; ita ut liquida in eorum ſpongioſa ſubſtantia non ſolum contenta, verum in vaſculis, in villorum inanitatibus conſtituta, evaneſcant adinſtar ſpiritus vini accenſi, cujus materies in tenuiſſimas auras reſolvitur; Nam ab excurſu per corpora parum, vel nihil reſiſtentia facilè ſpiritus prœterfluunt, non ſecus forſan, ac facit lumen, quod per vitra trajicitur, vel non aliter, ac odoroſæ faciunt particulæ, quæ in excurſu, talem impetum, ac effluviorum diffuſionem acquirunt, uti requiritur ad odoris ſenſum excitandum.

Tolluntur profecto in acutis ſolidorum, & fluidorum cohæſiones a ſeminibus ſalſis, acidis, vitriolicis, ac igneæ naturæ, quorum vi quidquid non eſt liquidum, & quidquid eſt fluxile recedunt a contactu, atque conniſu, & licèt in utriſque haud levis contingat lucta, talis tamen non fit nova mixtio, contactus, & mutuus conatus partium ſeſe tangentium, & variè cohærentium, ut villi, & humores, aut utrique ſimul in ſuarum molecularum mixtionibus, vel novis cohærentiis aptè immutentur, & conjunctim agant, ex quo fit, ut noxium, quod diſcordiam facit, excerni non poſſit, ut in fluxu, & refluxu liquidi nervorum quando principia nimia rareſcentia debita lympha privantur, fit ut canaliculi ſatis non dilatentur, nec ſatis, aut plus æquo extendantur, vel

vel peccantes humores ab occurſibus, rugis, & plicaturis vaſorum, angulorumque diverticulis non reprimantur, mutuo non temperentur, nec aptè confringantur, & multo, minus noventur a momento obliquarum preſſionum, & circumpreſſionum cujuſcunque partis, quarum aliæ, & aliæ motus, & preſſiones tales non eliciunt, quales requiruntur, ad hoc ut vaſa jugiter contrahantur, & diſtrahantur, unàque arteriæ exterorsùm aptè tendantur, rìteque comprimant venas, & alia glandularum vaſa ſecretionibus deſtinata.

Quoniam verò in acutis a vitio ſanguinis, & ſpirituum cogitur cor citiſſimè moveri, coguntur itidem arteriæ frequenter accelerari, ita ut venæ, vaſa limphæ, atque aeris rurſus comprimantur, antequàm reſtitui poſſint, adeoque nituntur commoveri, & perſiſtere adinſtar naviculæ ſtantis in medio undarum contrariè fluctuantium; Tunc liquida quæ, neceſſitate cogente, debent in venas derivare, ſibi locum intra eaſdem facere nequeunt, nec tranſversè trudendo e canalibus ſuis effluere, ſed intrà eoſdem malè permixta, ac irrequieta conſiſtere maximo cum ægrotantium detrimento; Nec deſunt exempla in viſcerum inflammationibus, in convulſionibus internis, in tumoribus, abſceſſibus, varicibus, aneuriſmatibus &c. Quando nimirum vaſa ſanguinis plus juſto replentur, & membranæ tanto laborant infarctu adinſtàr ſpongiæ madidæ, ut tumeant, aut extrorſum vaſa comprimant exiliores nervos, vaſcula lymphæ, & aeris, ſimulque minores viſcerum glandulas, quando plus juſto obſtruunt poros, ſpiramenta, & vaſorum oſcilla, ſive quàndo partes ad contactum ſub prelo ponunt utile, & inutile, illudque confusè omnique conatu depellunt, demùm quando tantum tremoris, ac diviſionis villis contractilibus incutiunt, ut membranæ, & villi omnes, quaſi corii ſicci, paulatim evadant, abſque eoquod ægrotantium natura criſes abſolvere poſſit.

Non admittunt profectò criſes acutorum tyrocinia, donèc cohæſionum momentum violat ſolida, & contemerat fluida, donèc prava ſeminum quantitas, & qualitas

litas eorum adaucti motus, atque velocitates nimiæ vigent, donec texruram, ordinem, vim, fœdus, figuram, & uſum offendunt, donec furentia principia ubique ſparſa, ac in plenam libertatem aſſerta ſeſe concitant, & turbinatione vehementi organorum cribra, nervos, viſcera &c. elimant, penetrant, diſſolvunt, aut deformant, quæ omnia declarant naturam, ſummopere jactatam, criſim nequaquàm moliri poſſe, Hic proptereà ſunt obſervandi motus omnes, tum ſimplices, tum compoſiti, tum adaucti, tum imminuti, an videlicet ſint internis, vel externis, maximis, aut minimis partibus adverſi, ſive verius, an ſint cum aliqua reciprocatione, an vehementes, an omni relatione deſtituti; Obſervandi inquam ſunt motus confricationum, preſſionum, & circumpreſſionum, ad quem ſcilicet gradum caloris, & læſionis perveniant, an reſolvant partium fœdus, uſum, earumque robur, an evertant vires, ac reſiſtentias, cæteraſque conditiones criticis ſeparationibus congruentes, Obſervandi utique ſunt motus, quantum ad invicem reſpondent, quantumve mutuò opponuntur, an nonnullæ actiones, aut facultates aliis actionibus, & facultatibus obſiſtant, an violatæ mixtiones, pravæque cohæſiones indeſinentèr confundantur, an liquor nervorum malis conſtans exordiis irruat in ſingulos villos, & producat tremores, indeque concitatâ, & inæquali vi, ſive procelloſis undis fluat, refluat qua poteſt, ita ut ſenſus externi, atque interni depraventur, ideòque motus omnes, ſine ulla relationis lege ſuccedentes, evadant periculoſi, & omnino criſibus contrarii, quodcunque eorum contingat nulla, vel quod plurimum eſt, imperfecta criſis evadet, quandoquidem unio ſolidorum, & mixtio fluidorum parum, vel nihil reſpondere videntur, quinimo humores omnes incendent ea quæ tangent, vel ſtimulabunt nervorum funiculos, & eorum membranas, confundent undas liquidi nervorum, eas infringent, vel furentes reddent, criſeſque præpedient.

Quamobrem ſi a noxia acutorum cauſa offenduntur viſcerum ſtructuræ, cæterorumque ſolidorum, ſi

vio-

violentèr diſſolvuntur, vel privantur humoribus, & adinſtar membranæ coriaceę atent, ſi intrà villorum ſinulos, & glandularum interjiciuntur peccantes humores, vel circumfunduntur, plenam diſcordiam ingenerant, & criſim impediunt.

Non rarò docta praxis docet liquida vires exſerentia eſſe refettiſſima igne, ſale, ſulphure, nitro, vitriolo, aliiſque ſilveſtris naturæ ſeminibus, quorum causâ minima ſanguinis æſtuant, confunduntur, jugiterque contemerantur, ex quo fit, ut machinulæ villorum extenuentur, & areſcant, quo tempore vires, ac reſiſtentiæ adeo langueſcunt, & pereunt, ut tota ægri conſtructio criticis ſeparationibus adverſetur.

Quotieſcunque ergo ægri ſæviſſimis gravantur ſymptomatibus, & a criſis molimine abducuntur, adſint oportet ſpirituum tumultus, nervorum, aliarumque partium irritationes, laxitates, tremores, tenſiones, cunctaque læſionum genera, quæ uſus, & actiones depravant, imminuunt, vel obliterant, Verum ad oſtenſionem res poteſt redigi, ſi doctâ anatome ad examen revocantur cadaverum viſcera, ſi ſecantur contenta in capite, in pectore, & in abdomine, ſępe etenim oculis obverſantur viſcerum glandulæ, valdè obſtructę, exſolutæ, tabidæ, corruptæ, ſimulque variis maculis, ac ſordibus aſperſæ, Oculis obverſantur improbæ congeſtiones in modum glutinis, tam in majoribus, quam in minutiſſimis vaſculis, & interdùm obverſantur tumores duri, in modum reſtinctæ calcis, replentis-intercapedines villorum, & machinularum inanitates, Oculis obverſantur membranæ exſolutæ, languidæ, attenuatæ, ac veluti pulverulentæ, ſive rubigine eroſæ, gelu oblinitæ, ſive cruſtis, rugis, atque improbis aſperitatibus deformatæ, demúm obverſantur vaſa contaminata in interna ſuperficie, adinſtar dolii ſale acido, mucore, tartarea, ac gipſea arena, vel lutoſa ſaburra ſaturi, quæ omnia præpediunt rectam agendi vim, ſimulque neceſſariam criſim. Adnotatione dignum eſt, practicantes ſatis non percipere acutorum labem, nimirum contractilium villorum vitium,

tium, vaſculorum depreſſionem, tabem ſolidæ conſtructionis, virium, ac reſiſtentiarum defectum, tenſionem, ſive convulſionem villorum, vaſa contexentium, ſatis non percipere humorum commotionem plus, vel minus turbulentam, nec privationem, ſive majorem, aut minorem jacturam cujuſcunque reciprocationis, intercedentis inter ſolida, & fluida. Multum tamen ſeduli Practicantes deducunt luminis ab ariditate cutis, & ab aliis notis ab Hippocrate deſcriptis in Prognoſticis, in Coacis, & in Prorecticis. Similiter multum deducunt luminis a nimia membranarum laxitate, ab alluvione peccantium humorum, ubique ſubſiſtentium, & ſolidas machinulas macerantium, multum a partibus divulſis, tabidis, paraliticis, motu ſcilicet, ac ſenſu privatis, ab aliiſque innumeris ſymptomatibus, ſenſus internos, atque externos offendentibus; Circumfuſa ergo acutorum ſemina ſi deformant vaſa, cribra, & filtra, ita ut eis non reſpondeant, profecto nec mundari, nec ſecerni poterunt.

EXERCITATIO V.

De humorum peccantium vi, criſibus reſiſtente.

QUum morbus acutus ſit turbulenta quædam ſolidorum, ac fluidorum commotio, ob quam ſpirituoſa ſemina naturali majori, minorive libertate quocumque excurrunt, confricant, offendunt, ac deformant ſolida ad contactum; facilè fit, ut variè hic interclusis viis impingantur, repellantur, & a recta deflectant ſemita, ſive veriùs ut vehementer confundantur, evaneſcant, perindeque actiones, vires, ac reſiſtentias villorum imminuant, depravent, funditusque deleant, ut illic e contra viis forsàn æquo magis apertis, cujuſcunque minutiſſimi vaſculi, emiſſarii, ac ſpiramenti tam male fluant, & refluant noxia ſemina, vel penetrent, eliment, & evaporent, ut motus languidi, incompoſiti, & ſine ulla relationis, & reciprocationis lege fiant, vel

vel quod in idem recidit, ut ſolidorum figuræ, ſitus, conatus, atque reſiſtentiæ quodammodo deficiant; Quandiu igitur natura vim patitur, ſuſtinet, & reſiſtit, tandiù per ſingulos canales flexiles, & contractiles, quaſi a tergo urget, & ſuppeditat vividiſſimos humores aliis jam præmiſſis, ne priores regredi poſſint; hinc ſæpe fit, ut dicta ſpirituoſa principia priùs immiſſa, inde repulſa a noxiis, ſubinde, aliis humoribus canaliculos innumeros, viaſque incognitas obſidentibus, repercuſſa, quaſi levia corpora in medio turbinoſi aeris, vel duplicis rapacis torrentis, ſive intorti gurgitis aquarum exadverſo venientium concitentur, concutiantur, tumeſcant, & confundantur, immò memorata ſemina a turbulentis humoribus jugiter ſuccedentibus adaucta, violenter commoveantur, & ad invicem adverſentur, ubicunque novas vias aperiant, huc illuc ſine ordine derivent, cuncta penetrent, turbent, & diſſolvant, eo prorſus modo, quo ignis, qui omnia exſolvit, comburit, & diſſipat. Actuoſæ igitur liquidorum particulæ, quæ ſunt igni analogæ, dum vehementer huc illuc ſeſe inſinuant, cohærentia omnia fodicant, faſtidioſum caloris ſenſum ingenerant, multum humiditatis abſorbent, & diſperdunt, abſqueeoquod ſolida debitas conditiones ſervent, illiſque reſiſtant, & acutorum materies male cohæſionis vim deponat, ſeparetur, ſeu criticæ ſecretioni idonea fiat.

Verùm enim verò acutorum cauſæ inhumanè ægros torquentes perpetuò cerebrum, nervos, cor, arterias, cunctaque vaſa ſanguinis, aeris, lymphæ, &c. agitant, inde violant, quæ vires, & motus faciunt incompoſitos, quæ velocitatum gradus ultra modum imminuunt, vel adaugent, quæ reſiſtentiarum momentum extenuant, ſuperant, vel quaquaverſum membranas & vaſa ita extendunt, ut humorum vias conſtringant, adeoque præpediant, ut in ſingulis cordis, ac arteriarum pulſationibus tantum liquidi non prætetfluat, quantum affluit, ut cor majorem, vel minorem cruoris copiam in arterias immittat, quam arteriæ ad partes derivent, quod

vitii genus tam ad imminutam, & adauctam, ſemperque pravam copiam, & cohæſionem liquidorum ſpectat, quam ad eorundem vim, fœdera diſſolventem, deterioriſque ordinis cohæſiones ponentem attinet.

Quotieſcunque ergo ægri acutorum labe vexati haud ſervant in ſolidis, & fluidis opportunas reciprocationes, certum impetum, certas vires, ac velocitatis gradus, toties vaſa continentia, & humores contenti male urgent, & urgentur adinvicem, toties villi contractiles, & membranæ earum motu tremulo, deformata figura præternaturalique contractionum momento ſuperate, ac tollere nequeunt ineptam fluidorum cohæſionem, & reſiſtentiam, aliamque depurationi neceſſariam ponere, ex quo fit ut machinulæ ſolidorum ubicunque inquinentur illorum meatus, & ſpiramenta inficiantur, vel intercludantur a lutulentis particulis, glutinoſis, ſalſis, ac erodentibus, quæ quidem tam variè vaſa irritant, nervos, eorumque funiculos convellunt, tam diré circumambientes membranas concutiunt, ac diſſolvunt, ut cribra ubicunque conſerta, vel ſpongiolas cujuſcunque filtri, & ſecretoria oſcilla glandularum deforment, & obſtruant, unâque univerſam ſolidorum texturam luxent, ideòque coctionem inhibeant. Quò magis ergo contaminata ſemina fluunt, effervescunt, ac in libertatem vindicantur, eo magis ſtimulant, abradunt partes, & violant naturalia jura fœderis, atque cohæſionum, eo magis intervertunt virium, motuum, ac reſiſtentiarum relationes, perindeque cribrorum ſoramina, figuras, ſitus, ac ſtatutos naturæ ordines ſecretionibus conſentaneos perdunt. Sciunt etenim Practicantes ægri corpus eſſe congeriem canaliculorum, atque inanitatum malè ſe habentium, quorum laxitate, tardo motu, ac virium jactura adeo cumulantur noxia humorum ſaburra, ut in dies magis ſpongioſæ, atque luxatæ canaliculorum, villorumque ſubſtantiæ infirmentur, ac inficiantur, ideoque careant munere criſis.

Practicæ obſervationes oſtendunt a fervore liquidorum ſive eorum igniculis penetrari, ac dplentèr exuri

villos

villos contractiles, membranas corrugari; & conſtringi, non ſecus ac ſi eſſent propè ignem; oſtendunt vaſorum villos rigeſcere, minimèque cedentes fieri. Quod eodem ignis exemplo ulterius illuſtratur, nam ignis ſenſum doloris in nobis excitat, & voluptatis, pro ut ſervatur, vel mutatur igni diſtantia, quo tempore ignis ipſe augetur, vel imminuitur, in nobiſque inducit placidum, vel moleſtum effectum; Ignis igitur in quadam diſtantia excitat ſenſum caloris, quem jucundum appellamus, & hic jucundus ſenſus mutatur in faſtidioſum ac dolorificum, ſi idem ignis augetur, & tunc nos exſiccari, uri, atque incendi dicimus. Quare manifeſtum eſt doloris ſenſum pendere a majori impetu, & copia igniculorum, qui in nervos irruunt, eos violenter inficiunt, ſpirituum ſemina ſollicitant, eorum undas conturbant, agitant, adeoque confundunt, ut totum ſolidum, & fluidum vehementer commoveant, ac quodlibet humidi genus dejiciant, & perdunt, uti contingit in lignis ſucco plenis, quæ contentum humorem depellunt, dum igni committuntur, uti contingit in villis contractilibus, qui, quaſi fides, vi ignis abbreviantur, & in minus ſpatium deveniunt; quare cribra, vaſcula, & emiſſariola [dum tota fabrica ægri igne afficitur] conſtringuntur, humiditate, atque flexione privantur, & ſic criticæ ſeparationes inhibentur.

A Philoſophis ſummæ notæ res probè confirmatur; Nam ſpecies ab objectis emanantes propè objectum denſiſſimæ ſunt, quò autem magis ab objecto recedunt, eò magis rareſiunt, quò igitur magis proximæ ſunt objecto, a quo proveniunt, eò magis erunt vividæ, majoriſve momenti, quo verò magis ab objecto recedunt, eò debiliores, ſive minoris momenti. Quando igitur igniculos in partes irruentes ſentimus, maximè proximos nos conſtituimus igni, & in hac minima diſtantia maxima eſt copia, & vis igniculorum comburentium. Doloris itaque ſenſus, a vi ignis exortus, exſurgit in acutis a magna copia, & impetu igniculorum ſe inſinuantium in nervos, & villos totius corporis, quorum machinulas

 offen-

offendunt, inflectunt, ac ferè divellunt, quo tempore producuntur in nervis, aliiſque memoratis partibus irritationes, ſive undæ denſiores, quæ ſenſum doloris faciunt; Quare dolor nihil aliud eſt, quam denſa ſubitanea, ac violenta nervorum inflexio, & quaſi proxima divulſio, at quia inflexionis origo a divulſione pendet, jure infertur cujuſcunque minimi nervi divulſionem dolentèr commovere nervos omnes, & membranas, eos ambientes, ſimulque contentum liquidum ita agitare, ut nulla criſis ſequatur.

Verùm quia liquidum quod tempore acutorum nervos accolit, multis, & quidem turbinosis ſcatet ſeminibus igneis, aliiſve naturam ignis emulantibus, ſi nervos irritat, & offendit, ſi per unicum, vel plures nervos undatim, ſed confuſe, ac dolentèr fluit, vel per alios refluit, ſive per innumeros ferè ſurculos eorundem confluit, dolor neceſſario quaquaverſum communicatur, Si igitur in unico nervo ſuſcitantur dolentèr undæ non mediocris momenti, neceſſariò diffundetur dolor in partes, per quas pertingunt nervi; At quia nervi pertingunt per ſingulas quaſque corporis partes, etiam minimas, debebunt neceſſario memoratæ undæ dolorem promoventes ad quaſque minimas partes perduci, quamobrem dolor non in illo ſolum nervo, qui dolet, perſentitur, ſed univerſum corpus dolebit, nam ſpirituoſæ ſucci nervei particulæ, adinſtar flammulæ vento agitatæ, quaquaverſum diffunduntur, tantumque irritationis, atque inflexionis ferunt, quantum requiritur ad ſuperandas tam fœderis, & cohæſionum reſiſtentias, quam ad majorem conturbationem, aut conſumptionem liquidorum, &c. ideòque ad criſes non retardandas, ſed omnino præpediendas.

Verùm quia nervorum liquor violenter fluens, ac refluens ex uno, aut pluribus nervis derivatur in confluentes nervos, non poteſt ullo modo quieſcere, nec leges naturales motuum, virium, ac reſiſtentiarum ſervare, quia quod fluit, violenterque derivatur in nervos perturbato refluxu derivatur in confluentes, cum eadem

turba-

turbatione, atque vehementia, cogitur idcirco durare hujuſmodi vehemens motus per totum illud ſpatium, quo vim doloris ſentire dicimus; Si ergò ſentimus in acutis moleſtas irritationes, emanantes a vehementi fluxu, & refluxu, diverſimode ſe habebit dolor, ratione ſcilicet diverſæ indolis, virtutis, ac velocitatis fluentis, refluentis, vel confluentis humoris, ſive verius ratione diverſæ texturæ, & molis nervorum ſe ſe in varias partes diffundentium.

Animadverſione dignum eſt, liquidum nervi recipientis doloroſam ſpeciem derivari in nervos omnes, adeoque eos male liquidum ſemper recipere, ex quo fit, ut vehementiorem diſtractionem, ſive irritationem patiatur nervus tam recipiens faſtidioſam, atque doloroſam ſpeciem, quam cæteri nervi influentes, nam ſi nervus capitis, exempli cauſa, excipit liquidum refluens a pluribus nervis, majorem vim patitur ille nervus recipiens liquidum, quod perperam refluit a non paucis nervis, quam patiuntur ſinguli nervi confluentes, in quos ſemina concitati liquidi derivarunt ab illo nervo, qui recepit doloris undas, ex quo fit ut caput diù valdeque vexetur, & forſan alienata mente laboret; Si ergo clarè aſſerimus majorem vim pati nervum, qui recipit primam doloris ſpeciem, quam cęteri omnes, factum eſt ut dicamus nervos per totum corpus protenſos ſentire vim doloris; ſed majorem ſenſum experiri in nervo, qui ſpeciem recipit; quam in cunctis, Cum ſenſus doloris non ſit aliud, quam valida nervorum inflexio, & vehemens motus liquidi undatim fluentis; quæ duo vehementer peraguntur tam in nervo, qui doloris ſpeciem recipit, quam in cæteris.

Si ergo turbinoſæ undæ liquidi nervorum fluentes, & confluentes ex uno in omnes nervos, & ex omnibus in unum ſunt ubicunque ità moleſtæ, in minutiſſimis nimirùm nervis, vel majoris molis, ſive in machinulis villorum contractilium, aut cujuſcunque vaſculi, glandulæ, &c. Quid cogitandum eſt de interturbatis, confuſis, ac violentis particulis, motus, & vires facientibus

bus? Quid de villorum omnium moribus, fracto fœdere, diſſolutione, ac deformitate? Immò quid cogitandum de eorum tremore, jugi tenſione, & laxitate, quid de variis nervorum inflexionibus, divulſionibus, atque convulſionibus, protenſis per regionem pectoris, uteri, renum, veſicæ, aliorumque viſcerum? Quid de valida confricatione ſolidorum, & fluidorum, cujus duratione ægri privantur humoribus, non ſecus ac ligna ſucco plena, quæ dum in ardentem ſornacem injiciuntur, incandeſcunt, & comburuntur? Quid de ſpirituum jactura, virium, ac reſiſtentiarum amiſſa relatione? Demum quid de facultatum, & actionum vi, nec non de criſis, ſive coctionis morboſæ impedimento? Dicendum viſcera, vaſa, univerſaſque partes ſolidas, uſque ad ſingula puncta occurſuum, flexionum, & angulorum vim pati, nec ſervari poſſe, nec iterum adipiſci reſpondentes motus, nec vim, nec reſiſtentiam, nec fœdus, nec figuram, nec ſitum, nec ordinem, nec quidquam aliud ad ſeparationem rei noxiæ neceſſarium. Dicendum acutorum exordia continuo irrequieta, in jugi eorum commotione perperàm conjungi, & ſolvi, unâque membranas agitare, irritare tendines, ac nervos, adeoque ſpiritus quôcunque conturbare, tam in officinis glandularum corticis cerebri, cunctorumque viſcerum, quam in omni extenſione nervorum, uſque ad minutiſſimas machinulas villorum contractilium, aſtruentium ſolidas partes ægrotantium. dicendum tum ex memorata nervorum inflexione, ac divulſione, cum ex viſcerum, aliorumque organorum vitio contemerari fluida, vaſa in univerſum cedentia malé conniti, male urgere contenta liquida, noxios humores ſervidos, ac indomitos fieri, variis ſtimulis cumulari, male adinvicem moveri, jugiterque abſumi: dicendum liquida, vires, motus, reſiſtentias, ſacultates, & uſus exſerentia impuritatibus inſici, craſſeſcere, iterùm atteri, in auras abire, citiſſimeque reſolvi, quorum cauſa villi contractiles colluvie ſubacti, modo inſarctu, irritatione, aut exſolutione laborant, modò ita tument, abbieviantur, & convelluntur, quaſi in

in modum corii igne tentati, ut acutorum ſemina haud quaquàm novari, ſeparari, ac ſecerni queant, Solida ergo tot vitiis labefactata perperam agunt in contentos humores, eoſque hic tam raros, mobiles, ac turgidos, illic tam craſſos, lentos, ac tartareos, ſeparationibuſve inidoneos, ut ſemper magis contaminent machinulas ſolidorum, eaſque veluti rubigine, aut lutulento gelu gypſent, & fœdent, perindeque ſingula cribra filtra, & vaſcula obſtruant, & deforment ſine ulla futuræ criſis ſpe.

Acutorum ergo inquinamenta nimis luxuriantia, vel nimis cohærentia ſi ita violant leges unionis, motus, virium, ac reſiſtentiarum, ut organa non agant amplius, juxta diverſam, ſed naturalem eorum constructionem, & agendi munus, debent noxii humores, & irrequieti ſpiritus nec ſibi ipſis viciſſim, nec organis reſpondere, Debent vires totius naturæ minus valere ad coercenda, temperanda, ac dejicienda noxia nimis ſoluta, minus valere ad ſolvenda, ac terenda nimis craſſa, nimiſque dura in glomerulis glandularum, in rugis, criſpaturis, ac tortuoſis ductibus viſcerum conſiſtentia, debent, inquam, minus valere ad ſeparandum, & arripiendum quidquid eſt intra fines nervorum, eorumdem ſubſtantiam, ac interſperſa ſpatiola, latentia inter nervos, & membranas veſtientes Cerebrum, & nervorum univerſas protenſiones, quare patet, quam varia, ac potens ſit acutorum cauſa, quæ criſes retardat, & præpedit.

EXERCITATIO VI.

Sunt ope Remediorum ità ſolvènda noxia, quæ nimis cohærent, vel coercenda, quæ nimis moventur, ut ſolidorum, & fluidorum vires, ac reſiſtentiæ aliquantulum reſpondeant adinvicem, criſibuſque conveniant.

ACutorum tyrocinia, licèt in circularibus revolutionibus ſint irrequieta, ac nimis mobilia, licet eorum alia ſint nimis tarda, involuta, & implicata, debent prima neceſſariò ſolvi, adeòque indeſinenter conjungi,

jungi, & novari, debent ſecunda arteri, urgeri, adeòque permutari, ut pravæ cohæſiones jugiter tollantur, contimueque novenrur; Nam ſemina ignis, ſalis, vitrioli, aliaque eorum naturam emulantia, etſi miris modis irretiantur, debent in jugi circulo vim, ac libertatem nanciſci, oleoſæ, tartareæ, itidemque adipoſæ particulæ ubique interſperſę diverſimodè attenuari debent, elimari, eliqueſcere, ac novam indolem ſuſcipere; Verùm ſi conſiſtat, dinque vigeat acutorum vitium in fluidorum ſubſtantia, continente non levem ardentis fere ſpiritus portionem, ſi irretiatur adipoſis, atque ramoſis fluidis quidquid eſt nimis ſalſum, acidum, biliare, vel quomodocumque noxium, atque veneficum, ſi in glandularum latibulis tumuletur, vel in reconditis penerralibus aliarum parrium detineatur; ſi in abditis cerebri, nervorum, & viſcerum implicetur, ſi noxium villos contractiles ſtimulet, infarciat, penetret, exurat, vel quovis alio modo offendat ſolidorum fœdus, debitamque eorum agendi vim; Pateet contemeratos humores, eorumve mala ſemina, haud facilè reverti ad certas motus, & mixtionis leges, haud facilè novari indolem, cohæſionem, & ordinem, non facilè exſurgere virium, ac reſiſtentiarum reciprocationes, ideòque non facilè novari conniſum, figuram, & ſitum peccantium corpuſculorum, degentium in intercapedinibus, ac interſperſis loculis cujuſvis ſpongioſæ inanitatis; Patet, inquam, varia acutorum ſemina magna, aut parva, & mole, & virtute, ſine ordine proportionis moveri, & excitari ad omnem niſum, & turbationem fluidorum, & ſolidorum, immò ad tot virium exercitationem, quot ſunt vires, ac reſiſtentiæ innumerabilium molecularum malè viciſſim cohærentium in fluidis, quotque ſunt vires, & reſiſtentię machinularum malè ſolida conſtruentium.

Ut quiſque ergo in medicina facienda benè ac ſapientèr præſcribat opportuna remedia ad ſolvenda, quæ nimis cohærent, & ad frænanda, quæ nimis in motu concitantur, ſive ad vires, ac reſiſtentias moderandas, examinet oportet quantum imminuuntur, vel depravantur

tur facultates, actiones & uſus, quantum læduntur, ſive luxantur fœdera ſolidorum, niſus, & agendi vires, quantum intimæ, ac perniciosæ mixtiones humorum commaculant texturam, & reciprocationem ſolidorum, quantum acutorum inchoamenta, tùm magna, cùm parva mole, & virtute retinent cruditatis & malitiæ, quantumve recedunt a mutatione acuti morbi in ſalutem.

Si noxia ergo principia nimis tardo motu ſcatent, ſi malè congeruntur, & conſiſtunt, ſi facilè villos contractiles tendunt, indurant, & abbreviant, vel ſacile glandulas duras, & obſtructas faciunt, vel emiſſariola occludunt, ſive ſpatiola quaquaverſum interſperſa impuriſſimâ lymphæ ſorde alluunt, ſi demum rugas membranarum, & criſpaturas vaſculorum, nec non ſpongioſas fibrarum inanitates rigidas vel laxas reddunt, vel organa cuncta debito motu, figura, & energia privant; nemo non videt ſymptomata invaleſcere, & mortem portendere. E contrà ſi acutorum exordia ſint nimis vivida, & fluxilia, juxtà eorum vim, & numerum plus vel minus efferveſcunt, penetrant villos, convellunt, & exſiccant, ita ut peccantium humorum ſeparationem præpediant. Nimis itaque adauctis, nimiſve retardatis peccantium liquidorum velocitatibus, dubitandum eſt de ægrotantium ſalute; cum tota ægri factura oſtendat non mediocris cruditatis ſigna; Quare tandiu importunis motibus læditur æger quandiu humores, ſpiritus, & partes privantur motibus, viribus, ac reſiſtentiis mutuò reſpondentibus, quandiu carent ſingula vaſa figurâ, diametro, ſuperficie, atque contrahendi vi ſolidis, & fluidis opportunâ.

Colligitur itaque non levem eſſe labem deformitatis figuræ cujuſcunque machinulæ organorum, non levem eſſe depravationem virium, nec levem, nec paucam copiam infeſtarum particularum præpedientium operationes, demum non levem eſſe turbationem cujuſcunque liquidi exercentis ſeparandi opus, ex quo fit ut eis tantum non ſuperſit momenti, quantum fas eſt ad ſolvenda noxia, quæ nimis implicantur adinvicem, vel ad coercenda, quæ perperam, & peſſimè moventur.

 Noxium

Noxium itaque nimis mobile aliud non exigit, niſi ut aliquantulum retarderur, & cohibeatur, nimis verò iners, ac tardum, aliud non perit, niſi ut ſolvatur, & in libertatem vindicetur. Sed quomodo virulenta, & irrequieta cauſa undique jactata, mirèque commota, vel quaſi aculeis, aut ſtimulis quibus ditatur exaſperata, & è converſo, quomodo acutorum pernicioſa cauſa, privata certo motu, vi, & ordine, ſeparari poteſt, atque ſecerni? Quomodo ſi inficiuntur ſolida adinſtar parietis incruſtati, ſi male conformantur fluidis, & fluida ſolidis, ſi deficiunt relationes, quibus liquida ritè fluunt, & ſolida illorum fluxibus aptè cedunt, & inſectuntur; ſi in medio incompoſitorum motuum, totque mali moris ſymptomatum effrenis materies, & cruda haud poteſt temperari, atque ſecerni? Quomodo inquam ſi noxium craſſum, & nimis iners evertit cribrorum conſtructionem, ſi contemerat alluit, aut impervia reddit vaſcula, ſi tollit eorum diametrum, ſi in vinculis ponit majoris momenti principia, vel ſemina ignis, ſive alia, quæ tam ignis, quàm cujuſvis ſermenti naturam æmulantur, quomodo ſolvi poſſunt, emendari atque depelli?

Non poteſt profectò provida parens ſolvere, mundare, aut coercere impuriſſima liquida totius fabricæ ſtructuram deſormantia, & præſertim ſi cauſa peccans in dies magis excreſcit, ſolidaque exſolvit, ita ut indeſinenter oſcillent, & convellantur; Non poteſt frænare niſum arteriarum nimis, aut parùm tendentium extrorſum, nec arcere intemperantem ſalium acrimoniam, nec auferre ſtimulos, nec tollere motus tarditatem villorum contractilium, nec purgare glandulas, nec earum vaſcula mundare, nec pervia emiſſariola ſervare, nec ſolida revocare ad primam formam, ergo provida Parens tantum virtutis habere nequit, cujus vi auferat quæ criſim retardant, aut præpediunt, quæ celeritatem improbam liquidi nervorum ſuſcitant, & alia cuncta, quæ miniſteria intervertunt cujuſcumque criſis.

Quotiès itaque lenta, ac nimis tarda acutorum tyrocinia ſolvuntur, vel nimis vivida opportunè frænantur, toties

toties polluta ſemina pedetentim elui poſſunt, ſimulque novum acquirere motum, contactum, conniſum, & mixtionem; poſſunt vi acquiſiti motus, atque impulſus aliquantulum ad invicem urgeri, mutare ordinem, ſitum, ſuperficiem, & figuram, poſſunt minutatim exonerare ſolida, eiſque aliquantillum fœderis, virtutis, ordinis, ac reſiſtentiæ reſtituere, poſſunt memorata principia aliquantiſper emendata, aliquid momenti, & energiæ liquidis vires facientibus reddere, adeoque excitare totam fabricam ad acquirendum certum gradum motus, virtutis, & novationis, poſſunt circumfuſę malignantis naturæ particulę viciſſim concurrere, adeoque commoveri, ut in novam veniant temperiem, atque mixtionem, poſſunt etiam ſolida, licet irritata, concuſſa, diuque variis ſtimulis laceſſita, licet, tenſa convulſa, tremore, vel infarctu gravata, aut glutine, *ſive ſordidâ lymphâ* imbibita, aliquantulum exonerari, potiſſimumque ſi opportuno tempore, atque remedio ſubleventur, poſſunt ſolida ipſa validius flecti, ſeſe contrahere, atque diſtrahere, ſeſeque gradatim reſtituere ad meliores motus eliciendos, & licet ſint obſtructa, lutulentâ labe deformata, impervia, ac diſſonis concretionibus deturpata, poſſunt mundari, pervia fieri, perindeque reverti paulatim ad primas vires, ac reſiſtentias, ad cæteraque munia obeunda.

Verùm enim vero ſi acutorum cauſa totam ægri fabricam vexat, ita ut fluida male in circuitu excurrant; & ſolida ineptè cedant, ſimulque medicamenta eludant; porrò cauſa hæc ſuperat omnem reſiſtentiæ gradum, violat omnes leges proportionalis motus, cunctas aufert relationes virium, ac reſiſtentiarum, perindeque tollit conſuetas ſolidorum, & fluidorum reciprocationes, ex quo fit ut nullum ſit ſolvendi, ac frænandi auxilium, ſive nullus ſit locus reſtituendi ſolida, & fluida ad agendi rationem criſibus conſentaneam; Hinc medentes intelligunt momentum cohæſionis pravæque congeſtionis adeo liquida inquinare, adeoque inficere, ac deformare ſolida, ut conjunctim criſes moliri nequeant; intelligunt noxiam cauſam ubique impreſſam offendere, ac intervertere machi-

chinis viſcerum, perindeque intelligunt furentia acutorum exordia undequaque ſparſa, & in plenam libertatem aſſerta, quaſi turbinatione vehementi penetrare, & exſiccare, adinſtar fulminis, omnia ad contactum; Quamobrem nemo ſtatuere valet, qua vi, reſiſtentiâ, ac temporis interceſſione poſſint tam ſæva principia permanere, ſine fræno, ac emendatione.

Porrò moventur liquida, tàm per vim depravatæ, concitatæque ſubſtantiæ cujuſcunque moleculæ, quam per impetum impreſſum a villorum contractionibus ſuperadditis, valdeque acceleratis, ex quibus fit, ut ſingulæ particulæ adaugeant velocitates, & vires, ut viciſſim adverſentur, confundantur, & tumeant, adinſtar maris vento concitati, vel ut elidant, convellant, & ſiccent ea, quæ tangunt, non ſecus ac velum madidum procelloſo aeri expoſitum; fit, inquam, ut ſolida, & fluida in tam ingentem confricationem, & luctam veniant, ut ſeſe mutuò exurant, vel quod minimum eſt, ſeſe extenuent, ac recedant a debito agendi munere.

Ne igitur pernicioſa liquida laborioſo fluxu, & refluxu ferveant, & rareſcant, ne ſolida pervia, & impervia ulterius deformentur, ne violenter divellatur quidquid vaſculis adhæret, ne utile, ac neceſſarium momento citius abripiatur, ne vaſorum villi, ac fibræ exſolvantur, ne naturales leges motus, & mixtionis pereant, adeo frenandæ ſunt particulæ nimis liberæ, tum fluidis intermixtæ, cum ſolidis interſperſæ, ut ubicunque moderentur; Eò quippe ſpectare debent moderationes virulentæ cauſæ, ſive lutulenti humoris, ut ſolida nimirum tantum ordinis, & fœderis, uſus, ac reſiſtentiæ acquirant, quantum decet, ad hoc ut polluti humores nimis mobiles, ac virulenti, ſenſim revertantur ad placidiorem motum, cohæſionem aptiorem, atque figuram, cribris commenſurabilem, vel ad eam novationem, qua ſolida, impura labe gravata, exonerentur.

Multi fidenter aſſerunt remedia cujuſvis energiæ minime promovere noxii glutinis attenuationem, ſive pravę congeſtionis ſolutionem, immò apertiſſime fatentur haud nova-

novare poſſe, & coercere, vel a vinculis liberare liquidorum particulas accuminatas, ramoſas, ſalſas, acidas, oleoſas, vitriolicas, aliaſque igniculis refertiſſimas, degentes in viſcerum glandulis, in nervorum receptaculis, in cæteriſque abditis loculis; ſed alii non pauci experientiæ teſtimonio evicti, confitentur auxilia rite adminiſtrata poſſe mala acutorum ſemina, etiam juſto fluxiliora irretire, ac retundere, aliaque nimis cohærentia in libertatem reſtituere, eorum mutare contactum, & indolem, adinſtar olei impuriſſimi, quod dum vi ignis in cacabo ebullit, mirum in modum conjungitur, & ſolvitur, ſeparatur, & purgatur, vel adinſtar cænoſi muſti in lacu ebullientis, aut immundi Tacchari in olla effervefcentis, quorum limoſa, ac ſordida principia ſolvuntur, effervefcunt, fumigant, ſpumant, & expurgantur; Hac eadem prorſus arte memorata *mixta, & alia e naturæ penu deprompta, vi ignis mire* commoventur, ſolvuntur, & copulantur, ideoque novas acquirunt vires ſupra ordinem cujuſvis vetuſtæ cohæſionis, & mundantur, ſic remediorum vi non invalidè comminuuntur, & fluxiliora fiunt male intermixta, ac involuta ſemina, paulatim ſuſcitantur ſopitæ vires, & in jugi circulo non leviter concurriuntur liquida cuncta, & quaſi in cribro excuſſorio minutatim ſeparantur: Sic remediorum vi emendari, ſæpiſſimeque retardari poſſunt peccantes humores nimis mobiles, ac violenti, itidemque præpediri poſſunt humores alii ceree, adipoſæ, ac ſebaceæ naturæ, ne eliqueſcant, & abſumantur.

Debent ergo noxii humores citò ſrænari remediorum vi, tutò cohiberi, ac jucundè ſolvi, præſertim quando ſtare adhuc videntur unio, motus, textura, ordo, ac certa agendi vis ſolidorum; quando eorum facultates, vires, ac reſiſtentiæ relationem, ſive reciprocationem ſervant, quando ſolida, & fluida viciſſim non adverſantur, nec propriis conditionibus ad criſes ſpectantibus, deſtituuntur, Quoties itaque mixtio fluidorum, fœdus partium, motuumque relatio aliquâ proportione vigent, quoties nervorum liquor, ſanguis, lympha, cæterique humores æſtuant, rareſcunt, & organa moderatè penetrant, Sed non

non convellunt villos, eoſque non incendunt, nec ſupra reſiſtentiam ſtimulant nervorum funiculos, nec ſummopere præpediunt, nec infringunt, nec conſundunt ſucci nervorum undas, toties cum aliqua ſalutis ſpe ſunt exhibenda illa remediorum genera, quæ conveniunt unioni ſolidorum, ac novationi fluidorum, ſimulque motuum moderationi; Toties remediorum vi eſt ſperanda criſis, quoties relationes, quæ debent intercedere inter humores, ſpiritus, & partes, inter vires, ac reſiſtentias aliquo modo reſpondent.

EXERCITATIO VII.

Quoniam inſævientibus ſymptomatibus nulla fit acutorum mutatio, ea tunc ineſſe debet medicamento exhibendo facultas, qua tum ſolidis ſimul, vim, ac reſiſtentiam, cum fluidis novam mixtionem, velocitatem, temperiem, ac ſeparationem inducere poteſt.

HUmores acutâ labe affecti, licet inter minima corpuſcula univerſæ conſtructionis inferant violentum aliquid parvæ molis, ſed maximæ virtutis, quod non ſolum naturales, fere omnes tollat cohæſiones, verum innumeras alias, ſemperque novas ponat, & jugi concitatione, quaſi ſub ſtimulorum prælo, conſtituat humanam fabricam, quieſcere tamen nequeunt contemerati humores, donec certas alias cohæſionum productiones ad criſes ſpectantes inducant; Nec aliter forſan evenire ſolet, ac in exhibitione diuretici, diaphoretici vel ſolventis Pharmaci, quorum alacriores particulæ, niſi a ſolidis, & fluidis pravos amoveant contactus, niſus, & reſiſtentias, novaſque ponant cohæſiones, aliquo modo naturalibus reſpondentes, non poſſunt profectò novare, educere, ac ſecernere circumfuſam labem, nec dira removere ſymptomata.

Præpediunt itaque, vel retardant acutorum coctionem inquinati humores, viſcera, aliaque organa non parum offendentes, ſævaſque affectiones ingenerantes; ſed pro noxiæ labis ſeparatione, ac ſymptomatum remotione,

ne, in uſu ſemper fuerunt, [ut cum veteribus loquar] alterantia, præparantia, ac ſurſum, & deorſum purgantia, miſſio item ſanguinis, tenuiſſimaque victus ratio; In uſu fuerunt ſudorifica, diuretica, rubificantia, aliaque innumera, ad hoc ut pravæ mixtiones, & conniſus, ut improbæ cohæſiones humorum, ſpirituum, & partium tollantur, aliæve melioris ordinis, ac naturæ ponantur., perindeque omnia ſenſim noventur, & mala ſymptomata adimantur; Affirmant non infimæ notæ Recentiores validam medicamentorum vim in levi quadam confricatione, motu, compoſitione, aut ſolutione conſiſtere, non ſecus ac æduliorum trituratio, ſive fermentatio, quæ fit in primis viis, ſive non aliter ac illa commotio, quæ fit in farinæ maſſa, in mactra detenta, dum fermenti acidirate, vel Cereviſiæ ſeminibus imbuitur, tunc farinæ particulæ diverſimodè commoventur, rareſcunt, componuntur, & ſolvuntur, juxta diverſam indolem, & copiam fermentorum; His non ineptè conſtitutis, quiſque intelligit naturam remediorum vi noxia removere a ſolidis, & fluidis, immò ſolvere, & auferre impedimenta, quæ tollunt, vel retardant neceſſarium motum, ordinem, figuram, & conniſum ſeparationibus congruentem, quiſque intelligit naturam moderari velocitates, vires, reſiſtentias, occurſus, ſtimulos, pravas copulas, cæteraſque productiones, uno verbo tollere, mutare, ſive novare ſemina, ſolidis, ac fluidis malè interſperſa.

Remediorum ergo ſubſtantia movet, componit, ſolvit, incidit, & fermentat cujuſcunque indolis particulas, quas tangit, perindeque virtute, & figurâ, qua pollet, ſimiles ut plurimum, atque familiares involvit, conjungit, ac ſecum trahit, exemplo nutritionis, in qua unaquæque nutritionis pars, quod eſt ſibi ſimile adſciſcit, diſſimile verò reſpuit, exemplo magnetis, qui tot aliis rebus fruſtra appoſitis, ſolum deligit ferrum, Quare cauſa primaria, ob quam ſimile a ſimili movetur, ac trahitur, deducenda non immeritò videtur a primis rerum exordiis, corpora diverſimodè componentibus, Res proptereà eſt referenda ad parem configurationem, certumque principiorum

piorum contextum, quatenus exiſtentibus utrinque anſulis, ſuperficiebus ſcabris, ramuſculis, ac veluti capreolis, poſſunt adinvicem amplecti, ſeſeque variè irretire, movere, ac ſolvere, Hinc medicamenrorum vis in humorum maſſam diffuſa, quaquaverſum penetrat, & liquidorum maſſam mirum in modum commovet, & diverſa, ne dicam innumera corpuſcula variè figurata reſpuit, alia verò recipit, aliaque ſecum trahit, quæ ſunt conſimilis configurationis, Particulæ ergò medicamenti valdè commotæ cuncta offendunt vaſa, cæteraſque partes, ad quas allabuntur, hic namque elimant rugas, & criſpaturas tollunt, illic alia mille incomoda ferunt, uti contingit, quando medicamentum eſt ex pluribus compoſitum, variæ indolis, & oppoſitæ naturæ ſeminibus idoneis ad interturbandos, ac indiſcriminatim attrahendos humores, tam utiles, quam inutiles, uti evenit dum latiuſculum ferrum a magnete viriliter attrahitur, quo tempore pertrahantur ~~etiam oportet lapilli~~, paleæ, feſtucæ, & alia, ſi quæ ibi occurrunt, & intercipiuntur corpuſcula. Huic ſententiæ favet Hipp. his verbis, lib. de Nat. Hum. *Medicamentum*, inquit, *exigit quod eſt ſecundum naturam, maximeque familiare*; *alia deindè pertrahit*, *& purgat*. Rei medicæ non ignari clarè explicant, qua ratione, ſcorpius alliſus in ea parte, in qua ictum inflixit, infuſum reſorbeat venenum, qua item ratione viperæ venenum theriacæ commixtum, aliud venenum per animalis corpus diffuſum educat, Confirmatur aſſertio, dum obſervamus ſaponem ex panno oleum elicere, nam ſi pannus diù jam oleo imbutus in aqua ſapone permixtâ ponatur, & indè exprimatur tunc ſal, & oleum ſaponis reſolvitur, & oleum ex quo ſapo confectus eſt panni oleum prolicit, & abducit, quod ejus filamenta contemerabat.

Porro medicamenti vis eſt quædam tractio, & ſeparatio, quæ inter ſimilia fieri-ſupponitur, ideoque creditur medicamentum humorem hunc, aut illum ſecum trahere, quia hic, aut ille humor ſimilis recenſetur huic, aut illi pharmaco; Eſt propterea veritati conſonum, operari medicamenta vi tractionis, cum qua in ſimilia tantum co-

natum

natum proprium exercent; Sed quocunque modo operentur medicamenta, debent pravas cohæſiones tollere, alias ponere, novare, vel utrumque præſtare inter ſolida, & fluida; Debent ſolvere, atque componere, ſed eò ſpectare debent ſolutio, & compoſitio, ut humores peccantes ſint minoris momenti medicamentorum viribus, ut violati humores ſenſim mutent non ſolum cohæſiones, velocitates, vires, reſiſtentias, ordinem, & figuram, verum etiam ut noventur, ſeparentur, ac depellantur, Nihil aliud ergo agit medicamentum in liquidis, & ſolidis, ejus vi ſolvente, atque componente, niſi ita tollere, & ponere cohæſiones, ut per illas noxii humores iterum componantur, ut per illas ſolida mundentur, noxia atterantur, mutent indolem, vel deponant quidquid eſt acidum, ſalſum, vitriolicum, & igneæ naturæ, perindeque ſolida depellant quidquid infarcit, laxat, obſtruit, alluit, & deformat texturam, conſuetumque agendi uſum præpedit.

Inſævientibus ergò acutorum cauſis, diriſque ſymptomatibus diſſolvantur, plurimumque invertantur oportet machinulæ villorum contractilium, diu perſeverent oportet liquidi nervorum concitationes, ac turbinoſæ undæ, plurimum motus diſſoni, ſuperadditi, ac naturæ adverſi, plurimum convulſiones, tremores, ac ſenſuum internorum, atque externorum depravationes, diu durent oportet improbi contactus, malè cohæſiones, conniſus, violentæque expreſſiones, quo tempore illico ea ſunt propinanda remedia, quæ ſine ſtimulo valent tollere pravas humorum mixtiones, aptioreſque ponere cohæſiones, quæ valent mulcere, ſive diſſolvere fluida, eaque novare, ac propterea mutare etiam morum, & niſum cujuſcunque machinulæ, adeoque temperare vires, eas ſcilicet augere, imminuere, fulcire, & accomodare, ut eâ qua decet relatione vires reſiſtentiis, & reſiſtentiæ viribus reſpondeant; Verùm quia a propinatis remediis ingenerari poſſunt innumeræ interjectiones, aliæque ſine numero productiones in humoribus, ſpiritibus, ac partibus, certum eſt earum plurimas eſſe ægris valde noxias, earumve plurimas non;

nihilominus ea ſunt ſemper adminiſtranda auxilia, quæ dulci fræno coercent, & novant nimis mobiles, ſalſas, acidas, vitriolicas, igneaſve particulas, vel ea ſunt propinanda, quæ atterunt, & comminuunt inertes, ſive lutulentas moleculas, vel ea quæ conſervant aut reſtituunt fluida, & ſolida ad leges certi motus, relationis, virium ac reſiſtentiarum, ſive verius, quæ valent naturam totam benignè revocare ad primum fœdus, primamque mixtionem.

Quoniam in acutis, ægritudinibus rarò fit repentina mutatio in ſalutem, diuque retardatur coctio, vel diu præpeditur critica ſeparatio, tunc natura tali medicamentorum virtute eget, ut aptas glandulas, cribra, vaſa, & organa cuncta idonea reddat ad rei noxiæ ſeparationem, tali eget medicamentorum vi, ut incompoſitos motus rareſcendi momentum, impetum, & velocitatem frænet, vel ut malam temperet humorum indolem, conatum, & cohæſionum ſeriem, ſive ut tollat quidquid obſtruit vaſculorum emiſſariola, vel cutis ſpiramenta, quidquid alluit, infarcit, & ſolida temerat, denium quidquid violat, enecat, aut diſſipat ſpiritus, omninoque agendi munus præpedit.

Quoties ergo retardatur, vel præpeditur coctio, toties villi contractiles læſi, ac deformati, toties humores peccantes citò, vel tardè fluentes, male permixti, maleque conjunctim agentes, debent vi medicamentorum immutari in ſingulis contactibus, & aliqua proportione pedetentim reſpondere, debent ita novare motum, ordinem, ſitum, figuram, vires, & reſiſtentias, ut ſenſim acquirant amiſſam reciprocationem, ad primaque jura cohæſionum revertantur, atque ſeparentur. Operatio etenim medicamenti non eſt aliud, quam peculiaris motio, vel novæ cohæſionis poſitio, ſive permixtionis, conjunctionis, ac disjunctionis inter particulas ſolidas, & fluidas. Quamobrem ſi humor vitioſus non eſt fluxilis, ſed ſiſtit, vel obſtruit minutiſſimos canales, aut totam humanæ fabricæ texturam contemerat, & offendit, tunc medicamentorum vi liquetur, ac ſolvatur oportet quod nimis cohæret, interjicitur, vel circumfunditur, E contra verò ſi acutorum cauſa eſt vehemens, ac nimis fluxilis,

adeo

adeo remediorum vi emenderur oportet, ut motus tam diræ cauſæ adinvicem reſpondeant, ut fluida conſormentur ſolidis, aptenturque pororum diametris, vaſorum emiſſariolis, ac ſecernantur, tunc remediorum vis pedetentim impertit ſolidis primum ſœdus, agendi momenrum, & conſuetum reſiſtentiæ modum, itemque fluidis primam tribuit mixtionem, ordinem, velocitatem, ac novam cohæſionem, ſive naturam; ſublatâ ergo agendi virtute exoritur illico talis organorum languor in tota conſtructione ita ut villi difficultet, vel malè flectantur, ut ſpirituum ſubſtantia reſtinguatur, aut evaneſcat, ut fluida cuncta lutulenta fiant, aut corrumpantur, ut tandem vires, ac reſiſtentiæ pereant, aut intervertantur, ut nullum ſit remedii genus, quod acutorum cauſam tollat.

EXERCITATIO VIII.

Criſes retardatæ, vel præpeditæ in acutis excitari ſolent a repetita venæ ſectione, cohæſiones novante motus, ordinem, vires, ac reſiſtentias ſolidorum & fluidorum.

QUoties retardantur, vel præpediuntur criſes, toties ſolida, & fluida jam læſa, & inquinata adeo ad mutuò agendum, ac ſeparandum noxium imparata fiunt, ut tam acutorum ſemina, quam eorundem ſymptomata magis invaleſcant, prorſuſque invertant leges cujuſcumque motus, relationis, virium, ac reſiſtentiarum univerſæ texturæ organorum; Quoties itaque permanet æger in eo ſtatu, in quo liquida ſine certa velocitate fluunt, nec ſolidis reſpondent, in quo ſolida liquidorum fluxibus nec ritè cedunt, nec aptè flectuntur, toties ſolida, & fluida ſupra certum propriæ figuræ, virtutis, mixtionis, fœderis, ac reſiſtentiæ gradum ita turbantur, & offenduntur, ut functiones ferè omnes imminuantur, vel depraventur, perindeque criſes retardentur, aut præpediantur; Creditur enim acutorum cauſa tantæ molis, ac virtutis, quæ potis ſit violare, adeoque inficere ſolida,

& fluida, ut hæc ineptè fluant, ut illa perperam flectantur, & cedant, ac idcirco adinvicem non reſpondeant.

Creditur, inquam, acutorum cauſam ita agere ſuprà certum virtutis, ac reſiſtentiæ gradum, ut momentum fœderis, machinularum conniſus, ordo, ſitus, figura, ac ſeparandi vis depraventur, vel ſolidorum munia paulatim ceſſent, Ne igitur ſine remedii tentamento de medio tollatur æger, conſentaneum eſt ad examen revocare venæ ſectionem, quæ quidem ſi vires adſint, locum habet, tum in retardatis, cum in præpeditis criſibus, & præſertim ſi liquidorum ſemina quantitate, vel qualitate peccantia æquò plus, aut minus fluunt, infarciunt, ac veluti organa nimiâ ſarcinâ gravant, agendique facilitatem vel infirmant, vel tollunt, Locum habet venæ ſectio, ſi noxii libertas, ac nimia velocitas, ſi ſtimulorum copia, igniculorum ſeries, vel aliæ particulæ naturam ignis, vitrioli, ac ſalis erodentis emulantes concitent, pungant, ac violent ea quæ tangunt, ſive verius ſi furentia morbi ſemina quocunque ſparſa, & in abſolutam libertatem aſſerta ſeſe impellant, ac ſollicitent, ita ut turbinatione vehementi ſolida cuncta convellant, extenuent, ac deforment, ſeparandique conſuetudinem præpediant; demum locum habet venæ ſectio, tum quando peccantes humores minus juſto fluunt, partes ſolidas quodammodò agglutinant, indurant, eaſve coriaceas reddunt, tum quando obruunt, ac omninò obſtruunt cribrorum texturas, ſpiramenta cutis, ac vaſculorum oſcilla, ſive verius, quando villorum machinulas, vaſa aſtruentes, cruſtuloſas, madidas, laxas, prorſuſque inidoneas reddunt ad peccantis cauſæ ſeparationem. Si ergo humores nimis mobiles violenter fluunt, & quaſi vi percuſſionis non levis momenti cuncta quaſſant, permeant, & penetrant, ſi villos contractiles luxant, abradunt, & a contactu in quem nituntur, removent, tunc mutuam ſolida, & fluida ammittunt operandi reciprocationem, ac ſeparandi modum, abſque eo qnod venæ ſectio opportunum ferat auxilium.

Inertes igitur acutorum cauſæ, quæ tarde fluunt, ac minutiſſimis vaſculis, ſive ſpongioſis inanitatibus multum cohe-

cohærent, quę vividiſſimas liquidi nervorum particulas implicant, earumve momentum, ac penetrandi velocitatem coercent, quæ villos tenſos, inflexiles, ac veluti glutine ſubactos reddunt, quæ viſcerum deformant constructionem, & eorum depravant, vel obliterant officia, ſimulque criſes impediunt, non immerito exigunt miſſionem ſanguinis, ad hoc ut vitioſi humores, ſpiritus inficientes, vel cujuſcumque motus leges violantes, unàque ſolida offendentes, aptius rareſcant, ſolvantur, mutent indolem, motum, atque agendi rationem, ad hoc ut mala ſemina quodammodo noventur, & alium contactum, ordinem, vim, & figuram poris, emiſſariolis, ac vaſorum diametris commenſurabilem, ſeparationibuſque congruentem nanciſcantur, ad hoc, ut alacriores moleculæ ab inertibus impurioribuſque vinculis ſolutæ ſuperent terreſtres, ac lutulentos humores, inde illuſtrent, ac moveant villos contractiles jam convulſos, tali, ac tanta virium exercitatione, quod ſolida mundent, ac purgent, & fluida mutuò agant, atque coctiones promoveant.

Verum enim verò ſi tempore retardatæ vel præpeditæ criſis miſſio ſanguinis liberiorem motum liquidis, novam mixtionem, & cohærentiam, conjunctimque ſolidis validius fœdus, vim, ac diverſam flexionem tribuit; Si arteriæ piæ matris validius pulſant ſanguinem, ingenerari poſſunt vividiores ſpiritus, indeque induci fluxus, & refluxus ſuperantes occurſus, infarctus, atque infeſtas reſiſtentias; Si autem è tota ægri fabrica ſenſim tolli poſſunt quæ adverſari videntur tam partium uſibus, quam fluidorum mixtionibus, & utrorumque reciprocationibus, quiſque affirmare poteſt, citò, ac tutò eſſe ſecandam venam, ad hoc ut villi contractiles, liquidorum onere preſſi, impuritate ſtipati, ſive tenſione, vel convulſione affecti, aut quavis alia labe contaminati exonerentur, riteque purgentur, abſque eo quod machinulæ cujuſvis texturæ adverſentur ulterius, ac evertant motuum proportionem, figuram, & cribrorum formam.

Porro ſine ſanguinis miſſione, tempore præpeditæ criſis, aut retardatæ, lenta labe polluti humores, acutas paſſio-

paſſiones tam alte exſuſcitant, & adaugent, ut modo non levem faciant decubitum in glandulis viſcerum, & cerebri, in nervorum finibus, ſive in membranis nervos involventibus, ut non modo, inquam, tendant, convellant, ac tremere faciant villos, nervos, aliaſque partes induerent, & decurtent, adinſtar telæ, vel funis madidi, ſed quod deterius eſt, modo etiam glandulas conglobatas, vel conglomeratas tumoroſas reddant, poros occludant, ſpongioſas inanitates omni ſorde imbutas deforment, ideoque ſæviſſima ſymptomata coctioni contraria producant, Forſan miſſio ſanguinis in retardatis criſibus ſenſim moliri nequit lutulentæ cauſæ attenuationem? Forſan reſtituere nequit tantum momenti villis contractilibus, quantum decet, ad hoc ut pernicioſa materies quaquaverſum intercepta conteratur, fluat, & effluat è ſpongiolis, in quibus continebatur? Forſan natura nequit tribuere novum fœdus cunctis ſolidis, eiſque pedetentim impertiri certam figuram, ſitum, certamque contrahendi, ac diſtrahendi vim, cujus momento moleſta ſemina quocumque circumfuſa in jugi circulo urgeantur, noventur, idoneaque reddantur ad coctionem aſſequendam; Poteſt dubio procul repetita miſſio ſanguinis paulatim frænare ſuperadditos, & incompoſitos motus liquidorum vires facientium, poteſt implicare, & reſtinguere igniculos, & alia corpuſcula igni analoga, poteſt temperare violentas vires, novare cohæſiones molecularum fluidorum omnium, offendentium ea quæ tangunt, poteſt jugiter compeſcere, atque reprimere, quod eſt nimis turbulentum, acidum, auſterum, nimis fluxile, ac naturæ contrarium, poteſt tollere convulſiones, deliramenta, anheloſas reſpirationes, ſurditates, ſopores, urinarum ſuppreſſiones, & alia mille, quæ criſes retardant & prępediunt.

Pręterire non licet unum, quod eſt ſcitu dignum, ac pernotatu neceſſarium, miſſionem, nempe, ſanguinis attenuare humores lutulentos, vel quavis alia labe pollutos in vaſculis detentos, ac in villorum inanitatibus interceptos, conjunctimque ſuſcitare novum motum, & cohæſiones propemodum infinitas novare, tantumque momenti

in

in villis contractilibus exſuſcitare, quantum fas eſt, ad hoc ut pernicioſa ſemina ſenſim atterantur, fluant, & effluant è ſpongioſis latibulis in quibus detinebantur.; Hinc fieri poteſt, ut poſt repetitam miſſionem ſanguinis conſequantur ægri certum motum, fœdus, vim, ac opportunam reſiſtentiam coctioni neceſſariam, fieri poteſt, ut fluxus, refluxus, & confluxus ſpirituum ſint liberi, obices ſuperent in vaſculis minutiſſimis mirè intortis, & in gyrum ductis, demùm fieri poteſt, ut organa valdè polluta, & humores contemerati mundentur, Hinc rei practicæ non ignari percipiunt poſt repetitam venæ ſectionem multum vitioſæ lymphæ, ceteris liquidorum particulis devinctæ poſſe ſolvi iterum, conjungi, iterumque in novam libertatem venire, percipiunt ſemina ignis, aliaque ignis naturam æmulantia cæteris irretita novam vim adipiſci, ac velocitatem, perindeque movere multa, quæ nimis cohærent vaſorum criſpaturis; percipiunt tandem mala inchoamenta acquirere fluxilitatem, uti ſunt olioſa, ſive adipoſa corpuſcula quæ pedetentim excurrere poſſunt, ſeparari, perindeque eliminari tum per poros, glandularumque emiſſariola, cum per cribra & glandulas viſcerum, aliaſque patentes, aut incognitas vias, adaoque ſecerni.

Non rarò praxis teſtimonio evincitur, ſymptomatibus mali moris vigenribus, criſeſque præpedientibus miſſionem ſanguinis dicta ſympromata coercere, & noxia acutorum principla ſenſim placare, mulcere, vel purgare, evincitur exonerare ſolida, illave eluere ab omni humorum ſorde, ſive ab eorundem fœdo contactu liberare, evincitur ægri corpus removere a nimia laxitate, tenſione, duritie, infartu, aut incompoſito motu, ſive ſtimulo, ac vehementi irritatione, quorum cauſa fit, ut vires, facultates, reſiſtentiæ, & reciprocationes aliquantulum reſpondere incipiant pro criſis obice tollendo.

Poſt repetitam venæ ſectionem, poſſunt fluida malæ indolis gaudere proportionali motu, & in jugi evolutione reverti ad inteſtinam mixtionem, ſe ſeque ex confuſione ſubducere, ita ut ſimiles trahantur a ſimilibus, reprima-

primantur, ac veluti noventur, Poſſunt noxia in vaſculis contenta, in villorumque inanitatibus circumfuſa premi, & circumprimi, abſumi, ac diſperdi in modum ignis ſeſe reſolventis, vel aquæ ſtigiæ erodentis, aut diſſolventis quidquid venit ad contactum; Incipiant ergo reſtingui, dilui, & moderari noxia; facile tunc induci, poſſunt laxitates in ſolidis, tolli tremores, convulſiones, ac motuum diſcordiæ, perindeque villi omnes contrahi, & diſtrahi, & primam aſſequi figuram, atque virtutem, neceſſariam ad noxia ſeparanda, atque excernenda, Et licet liquida memorata afficiantur nimia viſcidirate, licet particulæ ſalſæ, & bilis ſeminibus refertiſſimæ perperam aliis commiſceantur, moleculis acidis, ac erodentibus, licet ebulliant, turgeſcant, adeoque adverſentur adinvicem, ut luctam faciant, ac tumultum ſive verius nulla fere proportione mutuo reſpondeant, ſanguinis tamen miſſio, vi novi motus poteſt ſuperius indicata ſympromata, ſimulque dolores, deliramenta, tenſiones, & æſtus frænare, preſertim ſi hæc ortum ducant a perturbatione, convulſivo imperu ſpirituum aliarumque particularum nimis mobilium.

Quoniam verò infinitæ propemodum, & variæ indolis, cenſentur in ſingulis ægris acutorum moleculæ, quæ hic majori, illic minori contaminatione, velocitate, ac vi ſuperaddita donantur, tot ſint oportet lædendi modi, & partes offenſæ, quot ſunt vitioſæ particulæ, quibus ſingula vexantur ſolida, quibuſve turbantur, & commoventur fluida, quibus franguntur vires, plus minus præpediuntur operationes, & inibentur Criſes; Quamobrem ægri citius, vel tardius, uno auxilio, aut pluribus medicamentis, varia methodo propinatis ad debitæ moderationis terminum, ad novum motum, & coctionis principium, & finem perveniunt. Si ergo mala exordia acutorum haud placantur, ope repetitæ ſectionis venarum, fricare oportet cutem, variis preſſionibus, & confricationibus, cucurbitulis ſiccis, atque ſcarificatis, quarum vi tollatur impetus, vis, infartus, cohæſionis improbæ, cujus vi tollantur reſiſtentiæ, & cutis obſtructiones, ita ut

infeſta

infeſta ſemina inæqualibus momentis in diverſas cutis glandulas nitentia evaporent, cujus, inquam, vi pereant cutis exſolutiones, & fulciantur fibræ, aperianturque cutis ſpiramenta, ideoque mundentur, proſuſque exonerentur quovis inquinamento, ac propterea ad certam motus atque agendi rationem paulatim revertantur.

Miſſio itaque ſanguinis in retardata, vel præpedita Criſi ſi cum virium tolerantia celebratur, teſtituere ſolet totam fabricam in ea reciprocatione, quæ inter ſolida, & fluida, ſive inter eorumdem minima ſemina ſolet intercedere, Nam partium fœdera variæ texturę, & minutiſſima fluidorum tytocinia diverſæ ſubſtantiæ, diverſique momenti ſimul conjunguntur ad inertes attenuandas particulas, ad edomandas, ac itretiendas nimis fluxiles, & vehementes, ad corrigendas contractiones, & diſtractiones, conatus, reſiſtentias, & alia vitia contractilium villorum, & hac methodo humores nimis torpentes, vel ſtagnantes *pedetentim* moventur, & fluuni, nimis verò vehementes, ac liberi evaporant, coercentur, & in novo circuitu conjunguntur, novantur, aut depelluntur, Miſſio itaque ſanguinis non inconſultè reperita ſolvit noxium parum mobile, frænat nimis vividum, ac penetrabile, ideoque fibras impuritate ſubactas alleviat, & exonerat, inde paulatim eas munit, adeoque ſulcit, ut prava ſubſtantia vitioſæ cauſæ conetur exire a canaliculis obſtructis, a tortuoſis, & rugoſis intercapedinibus, vel quod in idem recidit, ut nitatur exire ab interiectis ſpatiolis inanium machinularum, quibus arctè inareſcebat.

Quoniam verò in acutis liquidorum particulæ ſalſæ, lixiviales, vel biliaris naturæ perperam commiſcentur, aliiſque principiis commoventur, & malè cohærent, non rarò ita ebulliunt, & efferveſcunt, adeo turgent & mutuò adverſantur, ut nullâ proportione viciſſim reſpondeant, ſed evidentet criſes præpediant, In hac rerum diſcriminatione ſecanda eſt vena, vel quod minimum eſt ſcarificandæ ſunt cucurbitulæ, cum vires adauctæ exigant hoc genus auxilii, & hac methodo coercentur ſymptomata illa quibus corpus vexatur, corriguntur quæ velli-

cant, ſtimulant, ac irritant nervos, quæ impetu convulſivo tremere faciunt quidquid eſt mobile, demum frænant vitia humorum, ſpirituum, & partium, ut ſenſim novati poſſint, ac reverti ad mutuam relationem.

EXERCITATIO IX.

Quoties aquarum uſus corrigit, vel tollit cauſas retardatæ vel præpeditæ criſis, toties noxia liquida, & polluta ſolida certum adhuc ſervant fœdus, & virium conatum, ſive certum mixtionis, cohæſionis, & agendi modum, ope cujus aquarum uſus addit vires naturæ ſeparandi acutorum cauſas.

ACutorum elementa in ægris diverſæ ætatis, ſexus, habitus, ac temperaturæ variè humores, ſpiritus, ac partes violant, ac deformant, nam cito ſupra fœderis reſiſtentiam, certumque agendi modum acutorum cauſæ oſtendunt propriam virulentiam, dum nimis moventur, ſolida ſtimulant, & penetrant, dum ſiccant, ſcindunt, & urunt, conſuetamque agendi vim, ac fœderis reſiſtentiam tollunt. Alia verò acutorum ſemina, quæ tardè fluunt, membranis adhærent, inde glandulas, cribra, poros, ac interſperſa ſpariola obſepiunt, replent, vel alluunt, adeoque juxta eorum nequitiam, contemerant ſingula humorum inchoamenta, facilè retardant circularem motum, fœdant, reſtinguunt, vel tumulant vividiores particulas, & quod deterius eſt, remanent inſeparatæ fluidorum ſordes, vel ſatis non conteruntur, aut bene non conformantur pororum diametris, ideoque lutulentę labis aggregationes adaugentur, abſque eo quod propriis in locis, & cribris ſecerni queant.

Ut igitur copioſus aquarum uſus madefaciat, ac temperet nimis citò, vel nimis tardè peccantia liquidorum ſemina, eorumque improbas congeſtiones, debent ingurgitatæ aquarum particulæ emendare, vel purgare contaminationes ſolidorum, & fluidorum, debent frenare motus vim nimis adaucti, vel excitare, & aliquantulum ſol-

ſolvere ſopitam cauſam motus nimis imminuti, debent flexiles, ac cedentes reddere villos contractiles, laxare tenſiones, eorumque criſpaturas, uno verbo auferre circumſtantias criſes prepedientes, quæ quidem omnia molirur natura, quando noxia principia aliqua proportione certum ſervant fluendi, & cohærendi modum, ſive verius certam ſervant agendi vim, mixtionis, & novationis rationem, quando violata, ac polluta ſolidorum unio certam adhuc retinet, atque tuetur figuram, & motuum relationem, nec non aliquam virium, & reſiſtentiarum relationem, tunc licet acuti morbi ſemina preſeferant dira ſymptomata, morus tamen, vires, ac reſiſtentiæ non ſunt adeo legibus naturæ contrariæ, ut aliqua proportione viciſſim non reſpondeant, ut aquæ liberaliter propinatæ paulatim non ſuperent, aut non novent noxium illud, etiam in reconditis naturæ penetralibus tectum, quod criſes retardat, vel *præpedit*.

Verùm ſi quovis acutorum tempore plus, vel minus confunduntur motus leges, & ultra certum agendi modum, ac reſiſtendi interturbantur liquidorum tyrocinia, eorum cohæſiones, atque mixtiones, ſi ſolidorum, & fluidorum aptæ reciprocationes pereunt, ſi vires, & reſiſtentię omninò adverſantur, non ne organorum fœdera, cribrorum figuræ, motus, ſitus, & ordo machinularum ſolidarum evertuntur? Non ne uſus, actiones, & facultates depravantur? Non ne villi contractiles in univerſum oſcillant, tremunt, & convelluntur? Non ne minima fluidorum corpuſcula, adinſtar aquæ maris tempeſtuoſi tumeſcunt, ſumant, & ebulliunt, In tanta virium, ac reſiſtentiarum diſſonantia, ne dicam confuſione, in tanta motuum diſcordia, nemo ſanæ mentis affirmabit, aquas abundè ægris adhibitas poſſe coercere, & novare interſperſa acutorum principia, ea ſeparare, ac depellere.

Secus autem facit aquarum copia, etiam in medio ſymptomatum, quibus ægri non parum torquentur, dum humores, ſpiritus, & partes aliquam ſervant motuum, virium, ac reſiſtentiarum proportionem, dum ultrà certum modum viciſſim non offenduntur, dum innumeræ par-

 tium

tium confricationes, & fluidorum irritamina non ſtimulant, non percutiunt, nec diſſolvunt partium conſtructionem ſupra omnem reſiſtentiæ gradum, dum per vim violenti motus, & æſtus, per vim tremoris, concuſſionis, & convulſionis, ſupra certum gradum, non privatur æger neceſſariâ humorum copiâ, tunc aquæ ægris ubertim propinatæ in circulari peregrinatione non adinveniunt ſolida adeo ſicca, dura, convulſa, & laxa, adeo languida tremebunda, polluta, & deformata, nec inveniunt liquida adeo turbida, evanida, concitata, & turbinoſa, ut aquæ ipſæ liberaliter propinatæ ſenſim non corrigant, ac reſtinguant ſemina furentis ignis, ac irruentis in partes, quaſi maniacus in hoſtes, ut non aperiant humidis, ac vaporoſis particulis, quibus ſcatent, clauſos hiatus vaſorum, atque cutis ſpiramenta, ut non temperent, ac mitigent cujuſvis ſalis aculeos, vel non placent anxietates pectoris, & moleſtiam inſpirandi, & reſpirandi, ut non leniant cordis vibrationes, ſive vehementes, & convulſivas palpitationes, quibus cor fere opprimitur, ut vitioſos humores in glandulis viſcerum, minutiſſimiſque vaſculis conſiſtentes, vel in modum calcis reſtinctæ, vel glutinis villos infarcientes, vel quomodocunque fibrarum intercapedines, & machinularum inanitates replentes, non eluant, attenuent, disjungant, ac depellant, ut tandem non pulſent, mundent, aut purgent noxium diù retentum, vel lutoſam lympham quaquaverſum inhæreſcentem, vel quaſi gelu conſtipatam.

Eſt rationi conſonum, providam Parentem aquarum auxilio tollere poſſe præpeditæ, vel retardatæ criſis obices; dummodo ſolida, & fluida retineant certum mixtionis, atque agendi modum. Conſtat etenim aquas copiosè ingurgitatas jugiter intermiſceri univerſis liquidis, ideoque malæ indolis moleculas domare, earum motuum diſcordiam componere, improbas liquidi nervorum particulas igni analogas, cæterasve cujuſvis alterius malæ conditionis emollire, frænare, atque mutare. Si igitur ſolidis remanet tantum fœderis, virtutis, & reſiſtentiæ, tantumque fluidis momenti, cohæſionis, mixtionis, & agendi uſus, quan-

quantum illis proportione aliqua convenit; tunc aquæ copiosè ſatis adhibitæ coercere poſſunt juſto mobiliores liquidorum moleculas, ſeſe furiosè commoventes, ne eum exceſſu in ſolida irruant, poſſunt aquæ affatim ſumptæ compeſcere pollutos, ac procelloſos ſpiritus, intumeſcentes adinſtar turbinoſi maris, vel aquæ vehementer ebullientis, poſſunt devincire, & ſubigere humores acidos, ſalſos, oleoſos, & vitriolicos, licet concutiantur, rareſcant, & adinvicem prelientur, poſſunt denique adeo motus naturæ contrarios cohibere, ut criſes nec præcipitentur, nec retardentur.

Servatis ergo ſolidorum, & fluidorum, quantum fieri poteſt, memoratis conditionibus, aquæ ubertim ſumptæ ſenſim novare poſſunt noxiarum molecularum ſeriem, & contactum, jugiter mutare innumeras cohæſionum productiones, poſſunt dilatare cribra pororum, & alia anguſtiſſima foraminula, adimere occurſus, amovere ſcabras criſpaturas, & tenſas vaſorum obliquitates, poſſunt diſjungere, & abſtrahere ab oſcillis vaſculorum, a villorum aſperitatibus, a ſpongiolis, & machinularum interceptionibus quidquid malè inhæret, & partes inficit, poſſunt abripere ab improbis fluidis, a circumfuſa lympha, aliiſque ſordidis humoribus, quidquid eſt olidum, flammeum, vel erodentis indolis, poſſunt paulatim eripere a nervis, ac viſceribus quæ turbant, & lædunt eorumdem munia, quæ adaugent ſymptomata, quæ inducunt importunos conatus, & copulas criſibus adverſas, quæ confundunt motus, quæ imminuunt, aut delent vires, reſiſtentias, ac relationes, poſſunt tandem aquæ liberaliter ingurgitatæ frangere vincula, quibus mutuò devinciuntur abdita noxia, itemque conjungere nimis ſoluta, ac idcircò criſis impedimenta de medio tollere.

Quoniam per copioſæ aquæ potionem fieri poteſt, ut compoſitiones ſolidorum, & ſolutiones liquidorum adeo noventur, ut eorumdem componentia paulatim melius conformentur, aptenturque ad ſuperandas reſiſtentias, latentes inter moleculas fluidorum, & machinulas ſolidorum, fieri poteſt, ut acutorum exordia vividioris

nequi-

nequitiæ quaquaverſum intercepta, ac ſummopere conci-tata aliquantulum conquieſcant, ut in circulari latione aquæ pedetentim mundent, purgent & quodammodo eli-ment inanitates machinularum ſolidarum, fieri poteſt ut aquæ cuncta permeent & penetrent organa, ſimulque pondere ſpecificæ gravitatis quo ſcatent, exprimant mul-tum rei noxię, adeoque vaſcula, cribra, filtra, aliaque in-ſtrumenta ad acutorum cauſas ſeparandas accommodent, fieri tandem poteſt, ut per hujuſmodi indeſinenter mutatas compoſitiones, & ſolutiones ſolida, & fluida veniant in aliquam reciprocationem, ſive certam agendi methodum, cujus ope tam præpeditæ, quam retardatæ criſis obices ſenſim auferantur; Ex his conſtat, aquas optimæ naturæ copioſè exhibitas corrigere, vel aliquantulum reprimere acutorum exordia, ne in fluxu, & refluxu nimis rareſcant, ęſtuent ſupra naturę reſiſtentiam, ne concutiantur ad invi-cem, ne abradant, vel abſtrahant a vaſculorum membranis aliquid neceſſariæ, vel utilis ſubſtantiæ. Aquæ igitur flu-entes per vaſa ubicunque repentia obſtant ne malæ cohe-ſiones, nimiique conatus corpuſculorum fluidorum in dies augeantur, ne ſolidorum expolitæ conſtructiones defor-mentur, ulterius exſolvantur, liqueſcant, atque uſtulentur, obſtant ne liquida quæ vires faciunt, inducant majorem confuſionem, & tumultum, ſed pro mira eorumdem ſemi-num diverſitate, ac ſuperſtite cohęſionum vi, & aquarum non invalida virtute pacatè perluſtrent villos omnes, nec ſuſcitent amplius motus omnino diſcordes, nec vires, ac reſiſtentias prorſus adverſas legibus bonæ Criſis.

Aquarum ergo copia ægris exhibita dum fluit, atte-nuare ſenſim debet, minutatimque disjungere, ac artere-re malas fluidorum congeſtiones, debet ſuperare indomi-tas vires, & ſuperadditos, nimiſque vehementes motus, quibus ſingulæ moleculæ mutuò opponuntur, debet de-mulcere, diminuere aculeos, obices, rugas, & vaſorum plicaturas, ceteraque impedimenta tollere, perindeque dilatare paulatim meatus, oſcilla, ac innumera evapora-toria medentibus ignota, & ſolum nota naturæ, Quam-obrem ſi aquarum copia dum fluit, citò non reſtituit in-

tem-

temperata fluida ad conſuetam fluendi, agendique methodum, unàque ſolida ad primam contrahendi vim, conformationem, atque texturam, ſaltem placidè diſponir fluida ad meliorem acquirendam mixtionem, ac dulcedinem, & ſolida ad aſſequendum meliorem ordinem, ſitum, formam, vim, ac reſiſtenriam, ideoque ad noxia pedetentim ſeparanda, criſiſque impedimenta amovenda. Non minus oriuntur Criſes præpeditæ a nimio vividiſſimæ materiei impetu, ac ab infeſta cohæſione malæ Indolis particularum ſimul concurrentium, eodemque tempore inequalibus momenris in partes diverſas nirentium, nihilominus ſi perſeverar partium fœdus in eo quo decet unionis gradu, ope cujus liquida adhuc certo motu commiſcentur & fluunt, ſi adhuc ſolida certo modo cedunt abſque fractura, nimiaque laxitate, poſſunt aquæ largâ in copiâ, ſumptæ impetum amovere, conatum improbum mutare, congeſtiones diſſolvere, & Criſis auferre impedimenta.

Quo magis ergo vel juſto minus fluida fluunt, & ſolida cedunt, plus, vel minus disjunguntur partium uniones, turbantur ſingulæ mixtiones, & cohæſiones liquidorum, unàque violantur leges reciprocationum ad Criſes ſpectantium; Hinc patet liquida infecta per conceptum impetum, & violentam villorum circumpreſſionem malè agere, vehementer fluere, omni relarione carere, & intimâ non gaudere mixtione, quinimo provocare ſolida, adeoque rurbinoſis moleculis, quibus ſcatent, acidis, nempe, ſalſis, vitriolicis, innumeriſque aliis erodentis naturę ſeminibus elimare, ſolvere, atque extenuare connixum, figuram, ordinem, vim, & reſiſtentiam ſolidorum.

Evenire interdum ſolet in robuſta preſertim ægri habitudine, ut humores ſine ulla lege relationis excurrant, & ſine extrema lęſione ad partes derivent, indè ut villi contractiles totius fabricæ contrahantur, adeoque ad mutuum excurrant contractum rugoſę, & aſperæ ſuperficiei, abſqueeoquod per vim memorati excurſus, & occurſus memoratæ machinulæ divellanrur, & abſumantur; Verùm ſi in ipſo temporis articulo aquæ liberaliter ægris propinantur, facilè fit ut perniciosa liquida ſenſim relinquant

quant ſcabram, & aſperam ſuperficiem, vehementem impetum, & pravas collisiones, ideoque permutentur, ſecernantur, & evaporent, facilè fit, ut membranarum villi, quibus ſinguli canales conſtant, non dimoveantur, ſive a propriis retinaculis non divellantur, ut membranę, nervorum ductus, & viſcerum vaſa, in quæ incidunt liquida, non mediocris aquæ copiâ reſperſa, violentiam non patiantur, & in ſingulis punctis occurſuum vim, & reſiſtentiam non amittant, nec abſumantur.

E contrâ juſto tardius fluentibus liquidis, partes ſolidæ duriores, & quaſi glutine illinitæ evadunt, quia humores in interceptionibus ſolidorum ſine motu quodammodo congelant, quo tempore aquæ ubertim ſumptæ non disjungunt, nec atterunt craſſos, ac lentos humores, in contactum plurimum nitentes, quo tempore aquæ latâ in copia ægris exhibitæ non ſuperant reſiſtentias glutinis, nec ſuppeditant ſolidis, privatis debitâ lymphâ, tantum fluoris, quantum fas eſt ad hoc ut ſolida pollura, ac veluti coriacea debitâ vi moveantur, & rei noxiæ ſubſtantiam deiiciant, ad hoc ut liquida contemerata fiuant, refluant, & permutentur, ſive ad hoc ut noventur ſolida, & pravam congeſtionem novis viribus ſuperent, tandem ut hæc, & illa per ablationem, & poſitionem innumerabilium ferè cohæſionum tali proportione reſpondeant, ut cænoſæ acutorum cauſæ abſtergantur, ſeparentur, ac depellantur.

Adnotandum eſt in quavis anni parte, diversâque ægrotantium ætate ſummæ notæ Viros ubertim exhibuiſſe, & exhibere gelidas aquas; Alios itidem non minoris intelligentiæ Practicantes, eâdem exitus felicitate, propinaſſe, & propinare ægris acutâ labe pollutis varias decoctiones, jura tenuja, emulſiones, & aquas tepidas, preſertim in ultima ætate, in gracili, ac tabida corporis habitudine, hęc profectò corpora ferè conſumpta gaudent blando teporis contactu, nec gelidas potiones ſuſtinere queunt, nam membranę, & nervi quaquaverſum protenſi illico in moleſtum veniunt tremorem, qui ſemper vel criſes retardat, vel prępedit; In aliis verò ętatibus,

tibus, atque habitudinibus validioribus, prẹſertim tempore æſtus, qui ſacit aerem rarum, & laxum, qui villos, membranas, & corporum tegumenta parum tendit, contrahit, & premit, qui motus, & vires languidas facit, qui demum ſpiras, aetiſque corpuſcula magis diſtenſa, ac veluti ramoſa reddit, locum habent gelidæ potiones, ad hoc ut inteſtinus villorum motus aliquantulum opponatur languidæ preſſioni intermixti aeris, ac ignis circumfuſi, ad hoc ut aer internus, qui ab exteriori incumbente parum circumpremitur, in adventu aquæ gelidæ, & frigidi aeris eâdem aquâ gelidâ circumfuſi, validiùs fervet propria involuera, & plicaturas, faciliùſque defendat vaſorum fẹdus, indèque facilius ſrẹnet igniculos, & alia deteriora ſemina fluidis, ac ſolidis circumfuſa, ſive verius aliquem ſervet gradum proportionis inter fluida, & ſolida, ac inter vires, motus, mixtiones, atque reſiſtentias.

Ut tempeſtivè igitur adhibeatur aquæ medicamentum, Intelligenda ſunt acutorum tempora, eſſentia, ſivæ cauſẹ morborum, ẹgrotantium naturẹ vires, ac reſiſtentiẹ; examinanda ſunt aquarum ſemina, aeris conſtitutio, regiones, & corporum conſuetudines, ne quis a rectâ ſecedens viâ, in aquarum culpam referat ẹgrotantium excidium.

Nec quis putẹt familiarem aquarum uſum in acutis eſſe ſolum hujus noſtræ ætatis, uti legere eſt apud Galen. lib. 8, 9, & 10, Meth. Med. de Victus rat. in acutis Comm. 1, & 3, de Cibis boni, & mali ſucci, de Morbis Acut. Comm. 3, de Morbis Vulgaribus Comm. 4, de Sorbend. aquæ tempore, & de Bonitate Aquæ; uti ulteriùs videre eſt apud Avicen. lib. 4, Fen. 1, & lib. 2, Fen. 4; itemque apud Aretẹum lib. de Cauſ., & Sign. Acutorum, & apud alios graviſſimos Scriptores, ex quibus benè, ac ſapienter percipitur quidquid eſt ſcitu dignum in aquarum exhibitione.

In re tam gravi provida Parens, quæ dicitur mixtio, & fœdus mixtorum, valido aquẹ auxilio tantum momenti aſſequi poteſt, quantum decet ut ſolidorum fœdera, & fluidorum mixtiones, vel cohæſiones certam vim, agendique reciprocationem exerceant, atque ſuperent

criſis impedimenta, Nam acutorum exordia, quòcunque circumfuſa, & aquarum quantitate intermixta, poſſunt in jugi circulo adeo refrigerari, conjungi, disjungi, & novari, ut illam indolem adipiſcantur quæ reſpondeat cribris, aliiſque emiſſariolis ſeparationibus deſtinatis.

EXERCITATIO X.

In præpeditis, ac retardatis acutorum criſibus, tum tepidæ, cum frigidæ potiones poſſunt contemerata fluida æquè ſeparare, ac violata ſolida reſtituere ad propriam figuram, fædus, ſitum, & ordinem, perindèque criſis impedimenta de medio tollere.

Retardatur, neceſſariòque præpeditur Criſis in acutis, quotieſcunque ſolida, & fluida privantur fœdere, & mixtione, ſive virium, ac reſiſtentiarum proportione, mutuâque agendi viciſſitudine; Nam qui praxim ſapienter faciunt, ſciunt acutorum ſemina totam ægri fabricam non parum offendere, fluida inquinare, & variis irritaminibus dicta ſolida ita occupare, ut fluida perperam urgeantur, ac conturbentur, abſqueeoquod jacturas reparent, & partes reficiant, Immò ſolida, quæ facilè tunc infarctu laborant, exſolvuntur, oſcillant, ſtimulantur, adeoque divelluntur, ac deformantur, ut ſupra certam agendi, ac reſiſtendi rationem violent naturæ jura, nimirum adaugeant, aut imminuant certum virium, ac reſiſtentiarum gradum, vel plus juſto lædant figuram, ſitum, ordinem, ſive connixum cujuſcunque machinulæ, Nec valet eo tempore natura rei noxiæ ſeparationem moliri, nec liquidorum tumultum cohibere, nec lentorem, limoſaſque particulas abradere, nec agendi momentum, aliaſve conditiones reſtituere, nec vires ſuperadditas, convulſiones vehementes, pravoſque contactus temperare, nec arcere acrimoniam, ſalſedinem, ſtimulos, vel aliam intemperantiam, atque diſcordiam liquidi nervorum, & ſanguinis, nec demum tollere Criſis impedimenta, quæ deturpant organa, ne ritè cedant, & flectantur, ne fluida aptè excurrant & per-

permiſceantur, ne ſolida & fluida aliquâ agendi proportione amicè conveniant.

Plenitudines non immeritò præpediunt criſes & ſtatuuntur periculoſæ cum extendant & laxent vaſa, eorum vires imminuant, & reſiſtentias ſuperent. Vaſa etenim nimis extenſa, & vaſorum villi improbis humoribus ſtipati vel concidunt, aut convelluntur. Si concidunt evadunt ſicuti citharæ fides diſtractæ & humore madidæ, quæ nec tendi poſſunt, nec pulſatæ ſonitum eliciunt: Si convelluntur, indureſcunt, ſicuti chordæ mucosâ colluvie obductæ, quæ tenduntur ad inſtar conditi & ſicci corii in officinis coriariorum, tunc ſanguis, & liquor nervorum nec ſimul agunt, nec mutuò reſpondent, nec partium reſiſtentias ſuperant.

Ut ęger itaque poſſit in medio ſymptomatum quibus torquetur gaudere novâ agendi vi, ac ſeparandi facultate, duplici methodo eſt incedendum ad tollenda impedimenta, acutorumve ſemina novanda, ac ſecernenda. Primum ſolvere oportet noxium parum fluxile, vel cohibere noxium nimis mobile, ſecundò roborare oportet, & fulcire, quantum fieri poteſt, villos contractiles nimis laxos, & exſolutos, ſimulque membranas tenſas, & convulſas modicè laxare, ita ut vaſorum oſtiola, glandularum cribra, viſcerum filtra, aliarumque partium meatus impervii aperiantur, ut peccantes inde humores nimis in contactum nitentes liberè pulſentur, citius fluant, attenuentur, paulatimque extre cogantur ab oſcillis, ac evaporatoriis obſtructis, circumpreſſis, ſive gelu contractis.

His poſitis, quiſque intelligit potiones tepentes, ac moderatè frigidas ægris largè propinatas citò fluere per venas, arterias, minutiſſimaque alia vaſa, citò diluere, & protrahere eorum rugas, vel criſpaturas, ſenſim diſſolvere lentorem, paulatimque exonerare fibras omni labe fœdatas, eaſque fulcire, vel inanitates noxiis principiis cumulatas abſtergere, purgare, ac veluti eas iterum componere, vel quod in idem recidit, novas vires, ac reſiſtentias illis tribuere; Quiſque intelligit in jugi circulo vaſorum villos ſeſe facilius contrahere, diſtrahere, atque

K 2 con-

comprimere ſtagnantes & cohærentes humores, adeoque augere velocitates, novare cohærentiam, & virium momentum, ut a vinculis vindicentur, Quiſque intelligit, memoratas aquas non ſolum eluere, & fibras fulcire vaſculorum repentium per glandulas, nervos, & viſcerum conſtructionem, verum etiam mundare, paulatimque mutare liquidorum particulas, impetum facientes, corrigere peccantes lymphas, frenare ebullitiones, atque reſtinguere ignis particulas, aliaſque igni analogas, immò indefinenter mutare conniſum, indolem, motum, & temperiem; Quiſque intelligit memoratas aquæ potiones ſecum trahere, ac veluti manu ducere quæ confundunt, ac fere penetrant, vel invertunt univerſam humorum ſeriem, ſive veriùs quæ exurunt, lacerant, vel luxant machinulas ſolidas, aut deformant totam ægri conſtructionem.

Neminem latere arbitror, puras aquas debitâ copiâ, opportunoque tempore ægris exhibitas ſolvere, incidere, ac temperare vitrioli ſubſtantiam, ſalis, & ſulphuris, paulatimque attenuare, abradere, ac tollere viſcidas particulas arctè cohærentes vaſculorum emiſſariolis, rugiſque villorum, ideoque ſenſim ſine ſenſu diluere, & mundare acinos glandularum, omnemque labem adimere, novas inde vires, liberiores motus, & facultates ſuſcitare. Neminem latere arbitror, aquæ papillas aere circumfuſas, paucis igniculis donatas, aliiſve ſeminibus reſperſas in circulilatione implicare, vel reſtinguere lucis ſcintillas, liquidis, & ſolidis permixtas, ideoque immodicam velocitatem, confricationem, penetrationem, & æſtum ubicumque reprimere, uti obſervate eſt, ſi ſupra aquam ebullientem aquam repente iniicimus, uti obſervare eſt in calce, dum aquâ extinguitur; Neminem, inquam, latere arbitror, aerem aquâ interceptum, paucisque igniculis donatum in jugi circulo, elaſticâ qua pollet vi, ſimul cum aqua premere, urgere, & conjunctim penetrare liquidorum moleculas, earumque ſpecificam gravitatem ita mutare, ut rareſcant, refrigerentur, & ſecernantur; Si ergo aquæ potiones poſſunt eluere in omni circulo lutulentas moleculas, malè conjunctas, & permixtas temperare, cæteraſque

que diſſolutas, liberas, vehementes, ſive turbinoſas coercere, facilè conceptu eſt ingurgitatas aquas domare ſpiritus, & ſurentem eorum ſubſtantiam, tollere pravas congeſtiones, irritationes, ac velocitates, ex quo ſit, ut in omni circulo peccantes bumores faciliùs fluant, pervadant cribra, & in medio preſſionum, contractionum, & circumpreſſionnm noventur malè moratæ particulæ ramoſæ, ſcilicet, craſſæ, oleoſæ, ac veluti ſebaceæ, adeoque mutent indolem, in libertatem vindicentur, ſive adinſtar effluviorum dejiciantur.

Si ergo aquarum poriones poſſunt corpuſcula durā, & valdè cohærentia ſolvere, & earum reſiſtentias superare, ſimulque temperare ſalſas, vitriolicas, unàque igneas, & ſulphureas perdere, adeoque cæteras omni labe pollutas disjungere, & mutare, poſſunt itidem permeare, ac fere elimare poros, & meatus ſolidorum, poſſunt laxare rugas, gyros, ſuffragines, tenſiones, ſive convulſiones villorum, membranarum, & nervorum, ut videre eſt in coriis ſiccis, aridiſque lignis, ſi diù madent.

Quoties ergo ægri abundant ignis particulis, aliiſve erodentis naturæ, & quaſi veneficæ conditionis, toties aquæ ſrigidæ, vel tepidæ illis adverſantur, ea ſcilicet, conſtringunt, involvunt, & ſuperant vim æſtus, momentumque ſtimulorum cujuſcunque naturæ, emanantis a pravo niſu, & cohæſione liquidarum particularum, toties aquæ ubertim ſumptæ ſuperant cohæſionum reſiſtentiam, & conniſum, penetrant glandularum penetralia, reconditos loculos nervorum, & viſcerum, minutiſſima vaſcula valde maculata abſtergunt, eorumque ſordes ſecum trahunt; ſunt ergo aquarum potiones ſalis, ſulphuris, ignis, & impuritatum moderatrices, cum non qualitate frigidâ, & humidâ, ſed corpuſculis, quibus ſcatent edoment, involvant etiam, atque etiam conjugant, & disjungant, reprimant, & pellant, aut ſecum trahant infeſta acutorum tyrocinia, pravoſque cohalitus, in reconditis ſinulis cerebri, nervorumque interceptos, Tantum propterea auxilii, ac virtutis tribuant oportet ſolidis partibus, quantum decet, ut intra datum tempus mechanicæ officinæ jam violatæ

latæ revertantur paulatim ad primam figuram, cribrorum formam, aptamque laxitatem ſpongiolarum, & cujuſcunque ſpiramenti, ut ſolida, & fluida moderentur ad invicem, ac dimittant diſſonas vires, importunas reſiſtentias, ſeniimque reſtituantur ad conſuetas reciprocationes, ut ſpiritus violenti, aliique humores flammei reſtinguantur, aut evaporent, ut denium alii melioris notæ liquores ingenerentur, adeoque noxia cuncta pedetentim ſolvantur, noventur, ac ſecernantur.

Aquæ itaque latâ in copiâ feliciter exhibitæ, ſi non illicò Criſis impedimenta ſuperant, ſi certas vires, reſiſtentias, velocitates, compoſitos motus, contractuum novationes, perindeque concurſus, & occurſus, ſeparationes, & purgationes inquinamentorum infimæ naturæ non tribuunt, ſaltem aliquantulum moderantur, & emendant vires ſeminum acutorum, vel corrigunt ſuperadditos motus, confricationes, ſtimulos, ac moleſtiſſimam acrimoniam, & impetus peccantium liquidorum, Nec patientes brevi perſentiunt hoc beneficii genus, dummodo in jugi circulo aquæ ubertim ſumptæ non abradant importunas aſperitates, infeſtos cohalitus, decubitus lymphæ, vel cujuſvis alterius icoris in vaſculorum, atque nervorum finibus, in interjectis nervorum, ac membranarum ſpatiolis, ſive glandularum, dummodo non tollant pernicioſa fragminula noxiæ conditionis quaquaverſum attrita, & in intimis inanitatibus machinularum ſolidarum intercepta, eaque ſecum non trahant, & per conſuetas, aut incognitas vias non depellant, dummodò in omni vaſorum ſectione, angulo, & eorumdem implicatione non mutent contaminatas particulas, eaſque depurgent vel idoneas reddant ſolidorum refectioni, aut conformabiles excretoriis oſcillis cujuſcunque partis ſolidæ, dummodo aliquantulum non depurent humores univerſos, illorum contactum non mutent, eoſque aptent ad novam ſpirituum ingenerationem, dummodo impervia vaſa, & aridos eorum villos non madefaciant, aperiant, & per mille varias partes varié inclinantes non excurrant, perindeque ſemper nullo non circulo, quidquid eſt acerrimo aceto analogum

non

non cohibeant, & quidquid eſt ſtimuli, ſalis muriatici, fixi, atque volatilis, ſive vitrioli, aquæ ſtigiæ, vel igneæ naturæ non moderentur, dummodo tandem memoratæ aquæ non extenuent cohæſiones noxiæ materiei, non pulſent, aut non moveant contactus, & vires, unaque improbas reſiſtentias non minuant, aut ſuperent, quod quidem evenire poteſt ſi aquarum vi tollitur quidquid parum movetur, perperam cohæret, & ſolida infarcit, ſi emendatur noxium nimis mobile, ac violentum, & hac methodo eripi poteſt a ſolidis, & fluidis quidquid eſt turbulentum, olidum, flammeum, ac ſilveſtris conditionis.

Potiones aquæ ægris acutâ labe affectis largè propinatæ effervescentiam, ſi omninò non auferunt, ſaltem igniculos, & ebullitionem imminuunt, non ſecus ac evenire ſolet, ſi aquam, in muſto, aceto, contritis corticibus, aut vinaceorum calidis ſolliculis ponimus. Hujuſmodi etenim liquida non tareſcunt, nec ebulliunt in lacu, & multo minus vinaceorum *folliculi* incaleſcunt, ſi multum aquæ additur. Sic aquæ liquidis acutorum ſorde pollutis circumfuſę, licet ſeparandi nullam vim habeant, tamen dum inter ſingulas particulas peccantium liquidorum interjiciuntur, dulci fręno emendant, reſtinguunt, & mutant noxia, prefertim ſi apto tempore, ac debitâ copiâ propinantur, tunc ſolida paulatim mundant, & fluida novo motu, cohæſione, & mixtione corrigunt, & novant, ſenſimque ad agendi viciſſitudinem, virium, atque reſiſtentiarum proportionem reſtituunt, & Criſis impedimenta pedetentim tollunt.

Superare profectò poſſunt aquæ largè exhibitæ moras criſis, quando ſine materia ſubſiſtente cohibent, aut detinent violentum impetum humorum æſtuantium, ſive erodentium, aut uſtulantium adinſtar aquæ ardentis, quando coercent fluxilia, minimèque fluxilia movent, quando mutant omnem malè agendi rationem, nimirum quando disjungunt perniciosum contactum, ſegregant, vel ligant, & congregant ſemina criſes retardantia.

Quamobrem ex allatis quiſque venire poteſt in ſententiam, ut credat, opportunas aquarum potiones ſenſim idonea

idonca facere ſolidorum fœdera ad criſes promovendas, ſuſcitare certas vires, reſiſtentias, compoſitos motus, conniſus, concurſus, & occurſus, innumeraſque ſeparationes, & expulſiones, tam per tortuoſos, rectos, aut obliquos vaſculorum gyros, uſque ad eorum emiſſariola, quam per cribra, poros, incognitos meatus, atque occulta ſpiramenta, uſque ad ſecretionum conſueta loca: In jugi ergo circulo aquæ adverſantur tenſionibus, atque aſperitatibus villorum, ſive criſpaturis membranarum, adverſantur improbis conatibus, ac viribus plus juſto adauctis, unàque liquidis impiè vires facientibus; Quare aquæ tam viriliter ſepe diluunt acutorum principia, ubique circumfuſa, ut non agitent æquo magis organa ſupra eorum vires ac reſiſtentias, ut non uſtulent, nec divellant villos, nec eliment, perſtingant, laxent, vel lacerent cribra glandularum, demum ita frænant ſtimulorum impulſus, ne quaſi vi fulminis abſumant, aut perterebrent, aut diſſolvant totam ſabricam, ex quibus fit ut non pereant conditiones ad Criſes ſpectantes.

Jam patet præpediti criſes a ſolido nimis irritato, tenſo, exſoluto, ſive deformato, vel glutine illinito, vel quod eſt idem, a ſolido ſicco, convulſo, tabido, luxato, atque paralitico, conſtat præpediri nonnunquam a fluido nimis mobili, vehementi, aut nimiâ erodendi vi donato, nonnunquam verò a fluido lutulento, oleoſo ac tartareo, quæ omnia novari ac tolli poſſunt ab inſoneis aquæ copiâ tepidâ, aut frigidâ, dummodo ejus particulæ paulatim interiiciantur inter machinulas ſolidas, eas permeent, lavent, ac mundent, dummodo removeantur impuritatum collectiones, dummodo dividantur & continuò mutentur.

Sciunt qui benè praxim exercent præpediri Criſes, vel plus minus retardari ab humorum ſpirituum, & partium motibus, plus vel minus adauctis, imminutis, inordinatis, omnive relatione prorſus deſtitutis, idcoque naturæ adverſis; ſciunt memoratos motus plus vel minus violare texturam ſolidorum, eorumve vires, ac reſiſtentias, ſciunt producere plus minus confricationes & adaugere caloris momentum, ſimulque turbare, vel confundere velocitates

tes, fluxus, nempe refluxus, & confluxus liquidi nervorum, adeoque ſęviſſima ferre ſymptomata criſibus contraria.

Verùm licèt in acutis humores ſpiritus, & partes non, parum offendant, licèt inordinatis, adauctis, imminutis, vel turbinoſis motibus agitentur, ſi tamen ęgrotantium corpora adhuc ſervant aliquam relationis legem, videlicet, ſi humores, ſpiritus, & partes aliquantulum reſpondent adinvicem, ſimulque opportunâ aquarum copiâ utuntur, poſſunt infirma corpora acutâ labe oppreſſa ſublevari, cum aquarum ſubſtantia poſſit ſopitas vires, & imminutas reſiſtentias excitare, aut aliquantulum temperare, poſſit inter machinularum ſolidarum terminos ſeſe inſinuare, levique affrictu novam facere diſtantiam, novamque unionem, perindeque ſuppeditare nullo non circulo materiam ad ſpiritus corrigendos, novoſque ingenerandos accommodatam. Facilè ergo conceptu eſt aquam adverſa liquidorum principia eluere, novare, ac depellere, quinimmo conſumptas lymphas reparare, innumeraſque ſilveſtris naturæ congeſtiones mutare, paulatimve criſis tollere impedimenta. Eſt autem perceptu difficile in medio tot diſſolutionum, totque ſymptomatum naturam ſervare in qualibet habitudine, ætate, & ſexu tantum virtutis, ac reſiſtentiæ, tantum fœderis, & mixtionis, quantum decet, ut ęgrotantium fabrica mirè extenuata, diruta, & quaquaverſum violata pati, & agere poſſit, ſimulque ſeparare, ac depellere acutorum cauſam.

Ex his colligitur aquam liberaliter ægris exhibitam nec citò, nec ſtatuto tempore frænare, aut reſtituere acutorum exordia ad maturationem, veramque coctionem; Colligitur aquam continuo defluxu, incerto temporis ſpatio, diverſâ velocitate, virtute, commixtione, ſive contactu penetrare, impellere, abradere, novare, ac depellere malæ indolis principia; Colligitur, inquam, aquam jure optimo commendatam, humoribus permixtam, aliis, atque aliis indigere circulationibus, attritionibus, & copulis, quibus ſuperare poſſit noxias fluidorum figuras, cohæſiones, gravitates, diſſonas vires, & reſiſtentias, quibus indeſinenter poſſit tot mutationes comprehendere, quot pro diverſis acutorum ſeminibus, ſuperficiebus, conatibus,

motibus, aliiſque conditionibus emendandis, ponendis, vel tollendis requiruntur. Rem confirmant fervidi muſti particulæ ſale, igne, aliiſque pravis moleculis reſperſę, quæ licèt in lacu plus minus ebulliant, variè, diuque evaporent, non illico tamen vini ſemina placantur, nec ſubitò fervoris tumultum dimittunt, dummodo aquæ copia, quæ aſſiduè muſto adjungitur, quaquaverſum per lacum non diffundatur, dummodo non temperet, vel reſtinguat vividiora, nimiſque mobilia muſti principia; Tantum igitur aquæ, tantumque temporis exigunt memoratæ muſti particulæ pro deponendâ ebullitione, quantum fas eſt pro ſuperandâ vi ſeminum ignis, pro tollendâ confuſione, ſive ebullitione eorumdem.

Ut igitur, aquæ ſimplices, compoſitæ, juraque tenuja, &c. corrigant, ac reſtituant humores, acutâ labe pollutos in aliquem depurationis, coctioniſve gradum, diverſo indigent temporis ſpatio, quo humores peccantes evadant magis, vel minus fluxiles, quo conformentur ſolidorum emiſſariolis, poris, eorumque diametris, quo citiùs, vel tardiùs ad abſolutam omnibus que numeris cohæſionem comparandam, ac reciprocationem aſſequendam deveniant; nam ſicuti contemerati humores magis, vel minus violant, & offendunt ægrotantium organa, diverſis quoque egent attritionibus, copulis, aliis, atquæ aliis aquæ potionibus, diverſo quoque egent temporis ſpatio in quo tot circulares peregrinationes comprehendantur, quot pro diverſis acutorum elementis, cohæſionibus, viribus, velocitatibus, ac reſiſtentiis emendandis, ac ſuperandis requiruntur, quot pro diverſis motibus, & ſuperadditis, & violentis moderandis, vel tollendis exquiruntur.

Ut igitur incerto tempore, incertiſque circulationibus aquarum liberalis copia prius unam tollat, indeque ponat alteram rei noxiæ cohæſionem criſibus accommodatam, debet neceſſariò tantillum relationis reſtituere humoribus, ſpiritibus, ac partibus, vel conſervare quod ſupereſt, debet aqua adeo inter ſingulas moleculas arctè involutas, aut implicatas, interque alias nimis mobiles, aut violentas ſeſe inſinuare, ut pauliſper eas exſolvat, ac flexiles reddat,

dat, ut vehementes coerceat, ac perinde abtipiat quidquid eſt ſcabrum, & pravæ conditionis, unàque reprimat quidquid eſt aceto, aut aquæ ſtygiæ analogum, ſive veriùs quidquid naturam ſapit ſulphuris, ignis, ſalis, vitrioli, aut erodentis ſubſtantiæ, ex quorum carentiâ fiet, ut natura pedetentim revertatur ad proportionalem fœderis, atque mixtionis rationem, ſive ad certam reciprocationem, atque agendi modum, ope cujus aquæ addunt vires naturæ ſeparandi ſenſim ſine ſenſu acutorum cauſas.

Aqua ergo varias ubique tollit, aut ponit cohæſiones; hic ergo ubique tollit, quando diſtinguit, ſolvit, & ſegregat peccantes moleculas, hic ergo ubique ponit, quando conjungit, ligat, & congregat particulas noxias.

EXERCITATIO XI.

Aquæ cum frigidæ, tum tepidæ extricare, ac ſeparare poſſunt morborum ſemina a ſanis, dummodo ſolidis, & fluidis ſuperſint conditiones criſibus congruentes.

NEminem latet variè in acutis turbari fluidorum mixtionem, aſſiduè videlicet confundi moleculas, & earum cohæſiones, ſimulque fœdus alterari, atque texturam organorum omnium vim pati, aut deformari; Neminem ſimiliter latet, aquas ægris largè adminiſtratas indeſinenter fluere, liberioreſque reddere humores, quibus aquæ ipſæ interiiciuntur, adeoque pedetentim novare fluidorum omnium conatum, copulam, & cohæſionum contactum, ut noxia juſto craſſiora corrigantur, juſtoque vividiora frenentur.

Aquæ itaque ubertim propinatæ, & humores noxii in vaſculis contenti in quavis preſſione, & circumpreſſione debent ita in ſingulis vaſorum gyris, glomeraminibus, angulis, & occurſibus frui novâ figurâ, ſuperficie, velocitate, conniſu, & contactuum mutatione, ut acutorum ſemina, & aquarum principia, quæ ſimul fluunt, & congrediuntur, rareſcant, & ubique ſolvantur, ſive veriùs quaquaverſum conjungantur, implicentur, & graviora fiant,

ideoque in jugi circulo, denuo atterantur, & minus gravia evadant, vel demum ea, quæ craſſitiem, ac duritiem induebant, etiam atque etiam ſolvantur, & ad aliquam fluendi libertatem redigantur; ſolent etenim aquæ humoribus permixtæ, nullo non circulo, juxta earum vires, ſenſim penetrare abditas inanitates, interceptaque laribula machinularum, conſtruentium villos contractiles, ſolent abradere, incidere, ac tollere pravas congeſtiones, ſolent placare irritatas machinulas, ſive mulcere, & mutare, ac propterea eas infensâ acutorum feminum ſarcinâ pedetentim levare, eodemque tempore eluere, & purgare fluida, aut a fœdo contactu removere, perindeque unâ, eâdemque vi utraque liberare a diſſentientibus motibus, & paulatim ad aliquam agendi reciprocationem illa reſtituere.

Verùm ut aquæ copiosè ægris conceſſæ permutent, ſeparent, ac ſuperent cauſas arctè, & ubique implicatas, ſive humoribus, ſpiritibus, ac ſolidis partibus circumfuſas, ut novent pravę indolis copulas, & concretiones, debent defluere, & agere tali conniſu, ac virium proportione, adeoque ſolidis, & fluidis reſpondere, ut infeſta naturæ primordia juſto craſſiora madeſiant, ſolvantur, cæteraque impura principia mundentur, alia demum violenta, volatilia, ignea, acerodentia evaporent, reſtinguantur, atque moveantur. Quod quidem accidere ſolet, quando momentum cauſæ morbi eſt minus illo, quo machinulæ ſolidæ laxitati repugnant, vel noxiis contactibus, cauſæque morbi viribus reſiſtunt, Tunc aquæ, & humores conjunctim fluentes, & refluentes, quantum nullo non circulo caloris, velocitatis, ſtimuli, ſive confricationis, & æſtus minuunt, per detractionem, per evaporationem, & mutationem cauſarum, tantum augetur virtutis, aptioris motus, ac reſiſtentiæ, immò quantum exhibitæ aquæ abradunt, & decerpunt a pravo ſolidorum fœdere, ſive machinularum copulâ, vel a fluidorum mixtione, eorumque violatâ cohærentiâ, tantum retunditur violentæ laxitatis, tantum imminuitur ſuperadditi motus, tantumque abripitur noxię materiei a ſummis vaſculis, cribris, ac villorum inanitatibus, quinimmo a tota ægri corporis fabrica.

Quamo-

Quamobrem ſi aquæ affatim ægris exhibitæ corrigunt pedetentim quod ſtimulat, turbat, ac invertit motus ordinem, & organorum texturam, quod adauget particularem nequitiam, & congeſtionem, quod vires, ac reſiſtentias plus juſto extennat, vel accreſcit, quod fluida turbinatim urget, adinſtar fluctuum maris ex adverſo occurrentium; Si cohibent quod abſumit lymphas, earumque ſalſedinem producit, quod uſtulat, & ſiccat villos contractiles, vel quod diſſipat neceſſariam ſpirituum copiam, quorum maximâ jacturâ præceps in mortem ruit æger, tutò aſſerendum eſt, vim particularum aquæ ſanguini, aliiſque humoribus permixtæ, tantam eſſe in arteriis, venis, lymphæ vaſculis, bilis, pancreatis, &c. quanta videtur neceſſaria ad ſuperandam reſiſtentiam, & oppoſitionem in ſingulis repoſitam ductibus, eorum membranis, rugis, atque aſperitatibus, immò in ſingulis ferè eorumdem punctis; Tutò aſſerendum eſt, motum, & vim aquarum fluentium cum ſanguine, aliiſque liquidis, tantam eſſe in glandulis viſcerum, quanta videtur neceſſaria ad omne genus flexionum ſubeundum, & ad unumquodque punctum ſingularum flexionum ſubigendum, Licet ergo ſingulæ reſiſtentiæ exſurgant ab inexplicabili numero flexionum, aut a villorum innumerabili varietate, a machinularum diverticulis cujuſcunque Canalis, ſive a tempeſtuoſo momento liquidorum vires facientium, a circumpoſitis villis, eorum ſuperadditis contractionibus, vel diſſentientibus motibus. ſi tamen majores canales, eorumque ramorum rami ſemper minores, certo ordine, & modo flectantur, & cedant, vel circumundique impingant infeſtos humores fluentes, vel conſiſtentes inter fibras muſculares, membranoſas, ac inter alias partes contractiles, porrò in jugi circulo aquæ aliis liquidis commixtæ aſſiduò contractionum, & preſſionum momento, quaſi ſub prelo poſitæ, poterunt urgeri, atque urgere, lavare ſolida, mundare ſitum, mutare ordinem, & conatum, adeoque novare naturam peccantium humorum, cum quibus fluunt, ut illi conformentur poris, oſcillis, diametris vaſorum, atque emiſſatiolis, perindeque deiiciantur.

Ex allatis, nemo non percipit aquæ frigidæ copiam, in febrium

Digitized by Google

febrium incendio acidas, ſalſas, ac ſulphureas cruoris moleculas pulſare, impellere, earumque cohærentiam, connisſum, & copulam mutare, ideoque aridas, vel igne imbibitas particulas madefacere, ac perdere, non ſecus ac evenit in calce, e fornace recenter detractâ, & illico in aquarum copiam injectâ; Ad primum enim calcis contactum non omnino ſuperat aqua igniculorum vim, ſed rareſcit, caleſit, ebullit, inde igniculos ſenſim reſtinguit, fertur confusè in gyrum, tumeſcit, mutat colorem, odorem, & gravitatem, perindeque adeo concitatur, ut calx mutet figuram, vim, ordinem, & ſitum ſuorum principiorum, ut aqua ſiſtere, & quieſcere nequeat uſque dum igniculi, quibus calx abundat prorſus non extinguantur, Aquæ igitur acutorum cauſis permixtæ eas poſſunt circumambire, ſolidarum machinularum inanitates replere, ubique penetrare, mala ſemina repellere, ignem reſtinguere, & lymphas, aut adipis ſubſtantiam tollere, paulatimque ſecum ducere quod eſt fixum, viſcidum, & vaſculis non parum cohærens, unaque noxium, ſatis volatile, & aereum edomare, vel ad viam critiçe ſeparationis reducere.

Fluor itaque aquæ a minimis particulis igneis mutuatus parit in humoribus tam multiplices conjunctiones, & disjunctiones diverſorum principiorum mutuò occurrentium, tam multiplices concuſſus, & moderationes virium, reſiſtentiarum, atque motuum inęqualium, ſed certâ quadam ratione ſibi ipſis reſpondentium, ut aqua ipſa figurâ, ſuperficie, atque fluore ſingulis moleculis ſanguinis, aliorumque humorum frænum injiciat, ſolvat, madefaciat, diſſonaſque vires earum coerceat, ſive criſis retardatæ, aut præpeditæ obices tollat.

Frigidæ vero aquæ acutorum principiis permixtæ, ſi fuerint momenti majoris momento tot pravarum congeſtionum, nec non particularum irruentium in partes ſolidas, aliquantulum extinguent igniculos, inquinatis humoribus circumſperſos, pręepedient velocitates, vires adauctas, excitabunt vires imminutas, ſenſimque committent minutiſſimas luxationes, & vitia frænabunt machinularum ſolidarum, ne offendatur ulteriùs, hoc eſt, ne humores ferven-

tes

tes exurant, & organa exſiccent, præpedient, aliquantulum madefacient vividiora principia, ne ignea fiant, vel in auras abeant, uti ſpiritus vini, vel pulvis bellicus ad ignem, aliquantulum præpedient ne fibræ, villi contractiles, ac nervorum funiculi quòcumque protenſi ab acido lymphæ, tanquam ab aqua ſtygia erodantur, & convellantur; Poſtremò præpedient ne nimis mobiles, ac fere candentes humores momento citius egrediantur, & evaporent, non ſecus ac faciat aqua nimis ebulliens, dum vaſa teſtacea pervadit, aut vinum calidum, vel corruptum, dum è ligni commiſſuris erumpit.

Ad corrigendas profectò acutorum cauſas, nihil eſt aquâ conducibilius, cujus guttulę, dum infeſti cruoris, aliorumve liquidorum particulas pravæ naturæ tangunt, eis adherent, eas conſtringunt, ſolvunt, vel urgent, tunc facilè novant, & mutant alias moleculas malignantis naturę, vel adverſę ſpeciei, & quodammodo vinculis propriis eas irretiunt, ideoque propriâ vi, & impetu concomitantis ignis nituntur ſibi ipſis viam facere ad organa omnia pervadenda, in quibus, quantum fieri poteſt, contrarios, ac ſuperadditos compeſcunt motus, ſimulque reſtituunt inertibus corpuſculis motum, & vim, inde tribuunt quietem, atque relationem effrænibus, ac violentis particulis, ſeſe adverſantibus acutorum cauſis, preſertim ſi superſint conditiones criſibus convenientes.

In vaſculis majoribus, atque minoribus ægrotantium gradatim tepeſcit frigida aqua, quæ in variis partibus, & vaſculis plus minus ignis adinvenit, ſolvit, vel reſtinguit, adeoque magis, vel minus fluit, incaleſcit, & agitatur; Quamobrem dum penetrat ſolidorum diverticula, & fluidorum tollit cohæſiones, utraque madefacit, & dum poros atque meatus ſubit, igniculis, & ſalis aculeis ſaturatur, facilèque ſubſtantiam peccantium liquidorum fundit, noxia corpuſcula abradit, eaque ſecum vehit, & ad ſeparationem diſponit, quia ſolida, & fluida aliquâ adhuc relatione mutuò reſpondent, nec conditionibus ad criſes ſpectantibus carent.

Hic adnotatu dignum eſt, non frigidas ſolùm aquas, verum

verùm etiam tepidas abundè exhibitas, æquè poſſe liquidorum malæ indolis agitationes frænare, nimiſque cohærentes, fixas, & abditas acutorum cauſas ubicumque ſolvere, commovere, & corrigere, ſed quò minores tepidis aquis occurrunt ſolidorum, ac fluidorum reſiſtentiæ, eò faciliùs aquarum papillæ quaquaverſum feruntur, disjungunt, aut conjungunt quidquid venit ad contactum, & ſine violentia vim propriam exercent, noxiumque mutant, & novant. Si verò aquæ, aliæve potiones calidæ ritè adminiſtratæ in vaſculis variè inflexis, atque intortis, aliquâ proportionis lege cæteris humoribus permixtæ moventur, neceſſariò debent rareſcere, citiùs fluere, ſeſeque faciliùs diffundere, & a primâ prorſus declinare cohæſione, neceſſariò debent ſalſas, adipoſas, atque inertes particulas ita deterere, & mutare, ut ſuperent cujuſcunque conniſus reſiſtentiam, ut alias, atque alias noxias moleculas, vaſorum membranis cohærentes divellant, eaſque in circularem lationem reſtituant.

In aſſiduis ergo vaſorum contractionibus, & distractionibus, mutuiſque liquidorum occurſibus fluida moderatè calida aſſequi debent motum tam expeditum, ut vitioſa ſemina conſueto majorem velocitatem nanciſcantur, congrediantur adinvicem, ac veluti pugnent, ut hæc, & alia, malè involuta, & implicata corpuſcula mitè ſolvantur, adeoque gravia, & dura, minus gravia, minuſque dura fiant, deducitur ex his aquas, jura tenuia, ac inſuiſa, cæteraſque calidas potiones acutorum tyrocinia ubicumque interſperſa magis urgere, illi viam facere, disjungere, & a vinculis, aut interjectis loculis, in quibus detinentur liberare, & licèt inveniant aliquid alluens, infarciens, vel aliquid viſcidum, quaſi gelu conſtrictum, uti obſervatur in arboribus tempore hiemis; primo tamen veris tempore ita funditur gelu in arboribus, ſicuti advenientibus aquarum decoctionumque igniculis concitantur, & ſejunguntur noxia inertia, villos occupantia, & oſcilla cujuſcunque emiſſarioli. Quare ſi aquarum, aliarumque potionum vi coguntur faciliùs moveri acutorum ſemina, & cohæſiones novare, poterunt faciliùs conformari crebris, poris, atque

ſecte-

ſecretoriis emiſſariolis, ideoque ubicumque ſeparari, quemadmodum obſervare eſt in variæ indolis corporibus calido balneo utentibus, nec non in variis fructibus, lignis, atque arboribus è naturæ penu depromptis, præſertim ſi igni committuntur, ſive approximantur.

Nemo ſanè poteſt acutorum tempore numerare ſalium erodentium particulas, aliaſque ſilveſtres, biliares, vitriolicas, ſive volatiles moleculas, quæ in cruore non minùs, ac in reliquis liquoribus organa irritantibus exiſtunt; nemo percipere poteſt noxia liquidi nervorum principia, vim, & impetum, ſicuti etiam diverſorum humorum ſuperficies, vires, congeſtionum copias, motus, & reſiſtentias, & multò minùs confricationes ſalium, aliorumque corpuſculorum ſimul concurrentium, aut intra ſolida ſubſiſtentium, miriſque modis totam fabricam offendentium, Quoties ergo juſto major fit peccantium ſeminum impetus, & effuſio intra, aut extra vaſa, quoties hic citò, aut multum, illic tarde, & parum intemperatæ moleculæ confricantur, & mutuò læduntur, quoties villi contractiles æquo celeriori, vel tardiori motu afficiuntur, toties liquet non aliter ſequi in noxiis humoribus, ac in aquâ calidâ, atque frigidâ. Harum prima ſales, pravaſque concretiones diſſolvit, liquefacit, ac diffundit, harum altera parum penetrat, ſerò diſſolvit malas cohæſiones, minuſque agit, nam aqua ſale ſatura, & gelu conſtricta tam ſalis quam vividas ignis moleculas implicatas, arctèque devinctas tenet; Si autem aqua ipſa ebullit fit ſatis fluxilis, ſalſa, & facilè evaporat. Majorem itaque, aut minorem fluorem & ſanguinis, & aquę, aliorumque humorum pendere certè ſcimus in acutis morbis a certâ quantitate, majori ſcilicet, vel minori igniculorum, per vaſa ubicumque excurrentium, qui ſicuti glaciem, adipem, ceram, variaque metalla inæquali tempore, ac vi diſſolvunt, ita memorata quoque corpuſcula ſolidorum corporum variè moventur tali igniculorum copiâ, quæ potis eſt citò, aut tardè penetrare eorum ſubſtantiam, ac ſuperare gluten, quo adinvicem copulantur; E contra ſi igniculi paulatim recedunt, evolant, aut reſtinguuntur, abſque eo quod aliæ ignis ſcintillæ ſuccedant,

M

dant, prædicta mixta jam ſoluta ſenſim fluorem ammittant neceſſe eſt.

Aquæ ergo, jura tenuja, & infuſſa, decoctiones The, Orizæ, &c. ſanguine interſperſæ fluorem conſervant, dummodo eo quo decet igne donentur, ſi verò ultra omnem naturæ modum igniculorum copiâ fæcundantur, tam humores, quam aquæ adhibitæ exurant fere oportet quę veniunt ad contactum, ſive veriùs aquæ, & lymphæ liquidis cunctis permixtæ maximo cum ægrotantium detrimento abſumantur neceſſe eſt. Non immeritò aquæ, jura tenuja, & infuſſa, aliæque potiones, quibus medentes abunde utuntur, ſi certum caloris gradum, certamque mixtionem cum fluidis ſervant, facile & conjunctim fluunt, permeant & concretiones tollunt, adeoque libertatem impertiunt moleculis, inanitates ſolidorum accolentibus, unaque ſingulis fluidorum particulis, quibus intermiſcentur; Quare in totâ maſſâ ſanguinis tam multiplices pariunt commotiones, & disjunctiones molecularum mutuò occurrentium, tot concurſus, novationes, & moderationes virium, & motuum certâ aliquâ ratione reſpondentium, ut acutorum cauſis frænum aliquando injiciant, eaſque pedetentim mutent, vel ſeparent.

Lucis ergo particulæ cum aquâ, aliiſque potionibus intermixtæ, cum ſolidis, & liquidis circumfuſę licèt acutorum tempore partim æſtuent, ac veluti incendant ſolida, vel ebullire faciant fluida, partimue aquam, aliaſque potiones calefaciant, ſive in ebullitionem non mediocrem conſtituant, excitent, & reſolvant, nihilò tamen minus ſi lucis moleculæ totam aquæ copiam prorſus non abſumant; ea profectò quæ ſupereſt aqua, etſi aliquid caloris pręſeferat, non parum tamen ignis extinguit, uti evenit dum aqua calida æquè ac frigida ferrum candens, carbones, ac ſilices igne ſubactos reſtinguit.

Tandiu igitur viget liquidorum omnium fluor, quandiu eis ineſt certa copia igniculorum, qui ſi ultra naturæ modum excreſcant, aut in auras abeant, humores fluiditatem ammittant oportet. Hoc clarè patet in lympha, quæ ſi igne tentatur, illius ſolvitur textura & cohæſio, ideoque parti-

particulæ ignis in libertatem veniunt, & evolant, unâque abſumuntur aquæ moleculæ lymphâ permixtæ, quibus inde conſumptis, deficit fluor, & lympha concreſcit, uti videre eſt in terra aquâ dilutâ, quæ coaleſcit, ſi qualibet de cauſa aquâ privatur.

Praxis docet remedia quæ multis conveniunt ægris, aliis nec convenire, nec ullam ferre ſeparationem rei noxiæ; Hinc aqua frigida, quæ pleriſque prodeſt, obeſt etiam non paucis, & potiſſimùm ſenio confectis, ſive laxitate, macie, ſiccitate, vel aliâ labe conſumptis, quorum vires, & reſiſtentiæ langueſcunt, partium ſtructura eſt deformata, & exſoluta, villi parum flexiles, viſcera obſtructa, vel tabida, quod potiſſimum fit, ſi pluſquam decet, multum impuri humoris, & lymphæ in interjectis ſpatiolis cujuſvis filamenti, aut machinularum ſolidarum inanitatibus detineatur. In hujuſmodi ſanè ægris lata aquarum copia nec diù retinetur, neque recipitur, cum adinveniat aſperitates innumeras, diverſas plicaturas, reſiſtentias, & non levis momenti obices, ex quo fit ut humores in dies magis lenti, ſicci, ac fere igniculis deſtituti evadant. Quamobrem aqua etiam moderatè ſumpta adeo imminuit motuum, & confricationum momentum, vires, & reſiſtentias ſolidorum, & fluidorum, ut quæ ſuperſunt ignis ſcintillæ exeſis villis, & fibris muſculorum implicatæ, vel fluidis circumfuſæ non concutiantur, non excitentur, ſed coerceantur, atque reſtinguantur.

Interdum aqua tepida in raræ texturæ corporibus, ſale, acrimoniâ, ſtimulis, ac igne refertis, ita ſibi viam patefacit per viſcerum irretitos ductus, cæteraque vaſa in univerſum, ut omnem ignem ubicumque circumfuſum a vinculis ſolvat, & ſecum trahat, quorum igniculorum vi aqua ita irritat, ac veluti uſtulat membranas cujuſcumque vaſculi, per quem excurrit, ut ſummopere pulſet humores ad contactum venientes, ut ſollicitet fluidum, & dilatet ſolidum, perindèque ſudorem, urinam, aliaque inutilia, & noxia excrementa ſecernat magnâ cum violentia, & ægrotantium jacturâ.

Neque hic eſt affirmandum, ægros exilis ſtructuræ tutò

uti poſſe copioſâ aquarum quantitate, aliarumve gelidarum potionum, quæ licet in circuitu ſale, igne, aliiſque pravis ſeminibus abundè ſaturentur, ſi tamen benè liquidis cunctis permiſcentur, facilè ignis, & ſalis moleculas frænant, juſto liberiorem evaporationem, motum importunum, nimiumque exitum præpediunt, ideoque non abſorbent, nec ſiccant humores ad criſes neceſſarios, ſed in glutine aquæ frigidæ, aliarumque potionum gelidarum jugiter devinciuntur, vel reſtinguuntur tam propria ignis ſemina quam mutuata a ſolidis & fluidis. Quare ignis & ſalis particulæ, illiſve analogæ aquarum copiâ perfuſæ, vel coercitæ haud poſſunt violenter penetrare, nec ultra naturæ ordinem abradere ſolida, nec abſumere fluida, nec valde ſtimulare, & offendere nervos, nec præpedire, aut deformare organa ne aliquâ motuum proportione ſeſe exerceant, criſeſque promoveant.

Nonnulla hic leviter retigimus quę ad ignem aquâ, fluidis, & ſolidis permixtum ſpectant, ſuperſunt quæ ad ignem aere circumfuſum attinent, nam acutorum tempore aer juxta diverſas anni tempeſtates innumeris aquæ, ac terræ halitibus, totidemque igniculis ditatur, Variè propterea ſolet obſepire, & premere ægros, variè confricare, conſtringere, convellere, & laxare vaſa aeris, aliorumque humorum, ſolet variè commeare poros, per omnigena vaſa diverſimodè excurrere, & penetrare abditas nervorum inanitates, quæ omnia ab aere modò laxo, modò tenſo, vel plus, aut minus aquâ, ac igne ſubacto fiunt. Qui medicam diſciplinam optimè callent intelligunt tempore intenſi frigoris tenuiſſimas aeris ſpiras multo igne deſtitui, ideoque tendi, rigeſcere, & cumulari magnâ copiâ ſalium volatilium, qui cum ſint quaſi naturæ ſalis nitri, ammoniaci, &c. æquè valent aquam, & aeris involucra refrigerare, ac tendere; intelligunt aeris concitationes progigni ab exhalationibus emanantibus ab inſigni terræ commotione, ſive effervescentiâ ignis & aquæ, vel a ſolutione ignis in aquæ glutina detenti, uti obſervare eſt in nivis, & glaciei colliquatione, in qua ignis ipſe nive & glacie conſepultus a ſuis liberatur vinculis, conjunctimque movet alias quas tangit particulas

culas; intelligunt aerem implicari aquâ, igne, aliiſque ſeminibus vi ſemper inæquali, ideoque aerem, aquam, & ignem in ægrotantium corporibus, eorumque peccantibus humoribus diverſimodè agere, copulari, conjungi, & diſſolvi, juxta majorem, vel minorem copiam igniculorum, aliorumque ſeminum; intelligunt aerem aquâ ſatis imbutum diverſimodè laxare, & madefacere villos, & fibras, ſimulque communia tegmina infarcire, ac tendere, ſive veriùs gravitatem, inertiam, ac levem unionis luxationem impertiri, ex quibus fit, ut motus humorum in obeſis, & opimis depraventur, ut tranſpirationes imminuantur, ut ignis, aliæque vividiores particulæ aquarum glutine retundantur, adeoque corpora acutâ labe inquinata, tum ope præpeditæ tranſpirationis, tum vi aquæ prementis, madefacientis, ac corporis diſſolventis texturam, criſi careant.

Graciliora autem corpora plerumque gaudent humido aere, cum villi contractiles, membranæ tenſæ, duræ, & in ſimilitudinem recurvati corii, aut adinſtar folii ſicci aquâ reſperſi, ita laxentur, ut villi omnes proprias vires, & munia aliquo modo exerceant. Quare nervorum liquor ejuſque componentia ſanguine permixta dum ſolida commeant, adeo comminuuntur ut aliqua proportione univerſos illuſtrent villos & certâ virium, ac reſiſtentiarum relatione ęgrotantium corpus muniant; idoneumque reddant ad præpeditas, vel retardatas acutorum cauſas novandas, vel tollendas.

Aqua igitur ægris ubertim propinata, & aer aquâ fęcundatus memoratis corporibus non officiunt, nec eadem plus æquo laxant, & infarciunt, nec eo quo decet pondere, vi, & reſiſtentiâ privant, quinimmo tantum illis tribuunt humiditatis, quantum fas eſt, ad ſales, halitus, & ignis particulas retundendas, quantumve fas eſt ad temperandum, aut reſtingnendum ignem aquâ, aere, liquidis, & machinulis ſolidis intermixtum; Verum enimverò ſi nonnulla ægrotantium corpora laxæ, raræ, ac mollis texturæ, aut penè dixerim modicæ, aut nullius reſiſtentiæ humido aere ambiantur, fæcundiſve aquæ potionibus in modum ſpongiæ madidæ, chartæ bibulæ, vel telæ villoſę, & tari ſub-

ſubtegminis repleantur, adeoque aquam exſugant, vel abſorbeant, perindeque ut aqueæ particulæ totam ægri conſtructionem diſtrahant, poros occludant, vel debitâ reſiſtentiæ vi privent, atque in magnam jacturam conſtituant; In hac rerum circumſtantia acutâ labe occupata corpora, totque humoribus imbuta, ita rigeſcunt, algent, ac veluti horrore contremiſcunt, ut nequeant præ nimiâ frigidi aeris tenſione, & gravitate, præque nimiâ aquæ, & aliarum frigidarum potionum quantitate, proportionali gaudere motu, vi, ac reſiſtentiâ criticis ſeparationibus, retardatis, ac præpeditis opportunâ. Neque hoc ſolummodo tribuendum creditur nimiæ aeris, & aquæ diſſolutioni, gravitati, diverſorumque ſeminum congeſtioni, verùm paucitati igniculorum minùs juſto agentium in aqua, juſtoque minus per aerem vagantium, & vix fere ſub magno frigidi aeris pondere perſiſtentium tam in ſolidis, quam in fluidis ægrotantium.

Aer itaque rarus, & laxus ſi ægrotantium membranas, exterioreſque fibras parum contrahat, parum quoque contrahat oportet internos villos cujuſcunque organi, propterea motus imminuuntur, & langueſcunt, aeris ſpire ęquo magis protenſę nequeunt debitam vim, preſſionem, & conatum exercere in humoribus, & partibus ſolidis, ex quibus fit, ut ſolida, & fluida mutent ordinem, motum, ſitum, & figuram, uno verbo, ut mixtiones, ac ſeparationes depraventur, atque præpediantur.

Eſt ſatis manifeſtum motum, vim, ordinem, ac ſitum machinularum aſtruentium vaſa minime opponi virtuti elaſticæ intermixti aeris, cum neuter horum motuum fiat per rectam lineam ad partes oppoſitas, nec peragatur ab æqualibus viribus, nec ſimilibus velocitatibus, ſed omnes motus viciſſim alterari debent, causâ diſcriminis, quod eſt inter vires, directiones, & velocitates liquidorum, & partium vires exſerentium; Villi itaque contractiles magis, vel minus contrahuntur, juxta varios gradus acutæ labis, preſſionis, & impetus, & copiæ agentium liquidorum, Sanguis pariter magis, vel minus urgetur juxta majorem, vel minorem tenſionem vaſorum, ac interni aeris vim, quorum

ope

ope aer ipſe nititur dilatari, & fluida nituntur magis, vel minus ſurſum, deorſum, ac alternè commoveri, ideoque tum ſub prælo vaſorum, cùm prementis aeris peccantes humores illas mutationes, mixtiones, & ſeparationes ſortiuntur, quæ convenire poſſunt præpeditis, vel retardatis criſibus.

Nec quis affirmet tenſi aeris ſpiras valdè laxati ad contactum corpuſculorum ſanguinis, cum ramoſæ, ac variè implicatæ ceræ moleculæ non ad omnes igniculorum incurſus illicò ſolvantur, ſed paulatim molles evadant, inde liqueſcant, nam internus aer etiam in acutis, non eſt tam debilis tenſionis, & conſiſtentiæ, ut ad contactum minimorum ſanguinis, alteriuſque humoris valdè laxetur, præſertim ſi ab exteriori incumbente aere prematur, non enim eſt aer tanto igne refertus, vel tam languidæ ſubſtantiæ, ut omninò diſtrahatur a ſanguine, vel a particulis ignis in ſanguine contentis; Retunditur ſanè ignis per ſanguinem diffuſus, tam ab aere, & aquæ potionibus, quam ab innumeris moleculis ſanguinem conſtituentibus, quę quidem ita ignem frenant, ut aer ſolummodo laxetur uſque ad certum gradum reſiſtentiis congruentem, & criſibus opportunum, uti obſervatur in aere tempore æſtus, cujus laxitas reſpondet laxitati villorum contractilium, motuum imbecillitati, aliiſque facultatibus ſecretionibus deſtinatis.

Sint itaque humores omnes valdè in acutis concitati, vehementer fluant, & refluant, ſint partes omnes cujuſcunque organi ubicumque jactatæ, ſit aer liquidis permixtus, non parum diſtractus juxta majorem, vel minorem vim, ac reſiſtentiam ſolidorum, & fluidorum, ſervare poterit ordinem, ſitum, & relationem machinularum, & aliquam reciprocationem facultatum, ſicuti contingit aeri, aquæ particulis intermixto, cujus ſpiræ ventorum impetu non relaxantur, nec diſſolvuntur, niſi quantum patitur aquarum reſiſtentia, vel cohæſionum niſus. Verùm ſi aeris interni, & externi vires, ac reſiſtentiæ ad vim, & reſiſtentiam ſolidorum atque fluidorum malè ſe habentium, illam ſervaverint proportionem, quam habet aeris laxitas ad laxitatem machinularum ſolidarum, & particularum fluidarum,

rum, ſive tenſio ad tenſionem, tunc motus unio, & mixtio aliquâ proportione convenient pro ſecretione, atque expulſione cauſę acutorum. Si denique illa relatio, quæ debet eſſe inter aerem, aquam, & ignem, aliquo modo reſpondeat humoribus, ſpiritibus, & partibus acutâ labe affectis, reſpondebunt etiam proportione aliquâ preſſiones, motus, vires, ac reſiſtentiæ, ideoque ſenſim peribunt criſis impedimenta, & natura ſecretiones, acutorumve expulſiones perſolvet.

EXERCITATIO XII.

In retardatis, ac præpeditis Criſibus ea remediorum genera non ſolùm ægris acutâ labe vexatis conveniunt, quæ temperant motus, vires, ac reſiſtentias humorum, ſpirituum, & partium, verùm quæ illis reſtituunt certum reciprocationis gradum, in quo poſſint mutuò agere, paulatimque præpeditam, aut retardatam cauſam acutorum ſeparare, atque depellere.

SOlida acutâ labe non parum polluta, & fluida valdè contaminata adeo viciſſim adverſantur, ac indeſinenter offenduntur, ut nec citò, nec tardè ſit expectanda criſis. Quò magis ergo, vel ęquo minus noxium eſt viſcidum, parumve fluxile, ſive plus juſto mobile, turbinoſum, ac violentum, eò magis dira ingenerat ſymptomata, & licèt noxium nimis vividum ſit minimâ quantitate minus, ſed maximæ virtutis, licet noxium ſatis craſſum, & lentum ſit maximæ molis, maximæque læſionis, licèt utrumque ſine certâ agendi ratione, ac reciprocationis lege violet jura naturæ, poterit nihilominus noxium ſolidis impreſſum, & fluidis circumfuſum ope vitium, quæ ſuperſunt, & remediorum, quæ exhibentur, aliquantulùm hìc dimoveri, illic corrigi, poterit ope motus circuitus ſanguinis, novæ cohęſionis, contractionis, circumpreſſionis, vel cujuſvis ſuperaddiri motus disjungi, iterumque conjungi, mutare vim connifus, mutare ſuperficiem, ordinem, ſitum, & naturam; quod quidem peragi poteſt, dum ſolida aliquâ adhuc propor-

proportione mutuò agunt in fluidis, & fluida in ſolidis, dum majori, vel minori remediorum vi ſubjcvatur natura, vel mutua actio, & paſſio ſolidorum, & fluidorum adaugetur, dum opportunè novatur, concoquitur, abradítur, ac ſecernitur retardata, vel præpedita acentorum cauſa nimis fluxilis, aut parum, vel nihil mobilis.

Neminem profectò latet, noxium nimis lentum, ac ſolidis cohærens, vel fluidis interſperſum, propriâ vi ad talem copulam, appoſitam attritionem, vel temperantiam redigi poſſe, niſi nimis vividum & fluxile craſſeſcat, ſiſtat, indeque alimineter, niſi craſſum, tartareum, nimiſque cohærens conteratur, & conformetur cribris, oſcillis &c. indeque ſeparetur; Verùm ſi ad obſervationis calculum, qui hæc meditatis, revocaveris noxii ſolutiones, connisus, & offenſionum vires, percipies, ut plurimùm contexturam corporis, & reſiſtentiam naturæ aliquantulùm expectare opportunum auxilium, quo nimis fluxiles, ac veluti malignantis indolis moleculæ, jogi contractus novatione, ſive cohæſionum fræno, coerceantur, nimiſque implicatæ, & lentæ ſenſim à vinculis viſciditatis liberentur, ac depellantur; Percipies memorata ſemina ubique ſparſa aliud auxilium pro coctione aſſequendâ non poſtulare, niſi ut natura remedii certâ vi, certâque motus proportione moveat, cohibeat, mitiget, ac ſeparet quæ movenda, frænanda, concoquenda, atque tollenda ſunt.

Si ciſſes ergo præpediuntur, dum ſolida dirè concutiuntur, convelluntur, abraduntur, arent, luxantur, ac veluti gelu indureſcunt, dum cribra deformantur, dum facultates, vires, ac reſiſtentiæ ſimul non reſpondent, nec ad invicem ullam relationem ſervant, dum lymphæ abſorbentur, ſpiritus evaporant, nec perluſtrandi rationcoi exercent, dum ſuperadditi motus, incerti, atque importuni ſolida calefaciunt, elimant, aut diſſolvunt: Tunc ratio obſervationibus conjuncta ſuadet, naturam vim pati, miſſe ſymptomatibus divexari, & congruentibus motibus ad criſes neceſſariis privari.

Si autem in medio tot ſymptomatum, quibus ægri torquentur adhuc vigent aliquantiſper naturæ vires, motus,

ac reſiſtentiæ, tunc expectare videtur natura aliquod remedii genus, quo poſſit ſuperare acutorum momentum frænare nimirum mala liquidorum principia, defendere, vel inſtaurare totam fabricam, & noxium ubique ſparſum ſeparare, ac pellere, Hinc ſeduli, doctique practicantes inferunt, nonnulla, & quidem benigniora remedia tunc exſuſcitare ſopitas, aut in vinculis contractas naturæ vires, ſive ſuſcitare tantum impetus in ſolidorum inanitatibus; quantum fas eſt, ad hoc ut ſuperſtites humores, qui vires faciunt aliquantulum depurentur, ſolvantur, melius rareſcant, ac pedetentim aliquam agendi vim recuperent, inferunt ſingulos villos pollutâ lymphâ madidos, aut gelu occupatos, ope naturæ, quæ adhuc in ſolidis, & fluidis aliquantillùm viget, & ope inſontis remedii ritè adminiſtrati, poſſe contractiones, diſtractiones, circumpreſſiones, alioſque motus, etiam in medio tot læſionum peragere, ſive ea abſolvere, quæ valent ſecernere, ac tollere criſis impedimenta, inferunt villos contractiles cum accelerati motus vi, vel ſuperadditæ contractionis, cum remediorum ſimplicium momento, cauſam acutorum ita urgere, & quaſi ſub prælo innumerabilium fere preſſionum cuncta ponere inſtrumenta, ut noxium ubique circumfuſum, ac penè dixerim tumulatum, ſolvatur, evaporet, & ſecernatur, tandem inferunt, in jugi humorum circulo languidam agendi, & reſiſtendi naturæ vim, ſimulque remedii ſimpliciſſimi momentum fieri poſſe paulatim majus viribus morbi.

Dignoſcunt bene medicinam facientes retardari, atque præpediri criſes quotieſcunque ſolida dureſcunt, tenſa, vel rigida fiunt, quotieſcunque laxantur, madent, vel pravis humoribus, in modum cœni ſubſiſtentibus, cumulantur, quotieſcunque ſalium ſilveſtrium, volatilium, omnigenorumque corpuſculorum inquinamenta, aut prava alia ſemina igni, vel aquæ ſtygiæ analoga, ſive veriùs eroſivis particulis turgida, ac ſtipata ſtimulant, & convellunt, ſive exſiccant vaſorum villos, ſeu magis vires proprias, reciprocationes, reſiſtentias, uſus, & facultates non parum imminuunt, atque depravant, quotieſcunque liquidorum exordia vires exſerentia ditantur importunis

impulſi

impulſibus, diſſonique reſiſtentiis mutuò reluctantibus, tanc ſolida reſpondere nequeunt fluidis, ideoque criſes præpediuntur.

Ut tollantur ergo hæc, & alia criſis impedimenta non immeritò ea laudantur remedia, quæ ſolidorum, & fluidorum motus valdè acceleratos, quæ machinularum confricationem, abraſionem, & æſtum, nec non repentinam effluviorum evaporationem moderantur, quæ hic clauſos vaſculorum hiatus aperiunt, & illic nimis patentes occludunt, quæ fluida jam confuſa, & violata mundant, & eluunt, quæ corrigunt, ac reſtinguunt ignis exordia, ſalis muriatici, ac vitrioli incohamenta temperant, ne elimentur, ac exurantur vaſorum membranæ, ne priventur in circuitu ſingula liquida debitâ lymphæ copiâ, ne dilanientur, neque dilacerentur minutiſſima vaſa, repentiâ per renes, podicem, uterum, aliaque viſcera, &c. ne acutorum inquinamenta irruant in partes, violenterque congerantur in glandulis parotidalibus, ſive in glandulis corticis cerebri, ſive veriùs ne conſiſtant in ſpatiolis latentibus inter duram, ac piam matrem, involventem cerebrum, cerebellum, ſpinalem medullam, & nervos linguios, ne ſupra naturæ reſiſtentiam convellantur, & premantur vaſa ſanguinis, aeris, & nervorum, ne ingenerentur tumores, anthraces, bubones, & exanthemata, ne demum invertantur ſolida confundantur & fluida, perindeque ne omni priventur, relatione, & vi ſeparationibus, ſecretionibuſque conſentaneâ.

Tutò ergo, citò, ac jucundè ſunt adminiſtranda benigniora illa auxilia, quæ placant, mutant, adeoque novant noxia, ut abradere & convellere nequeant ſolida, immò ſunt in uſu ponenda quæ temperant, & edulcant fluida, quorum novatione, & temperantiâ ſenſim tolli poſſunt irritationes, tuſſes, capitis dolores, ſingultus, tremores, convulſiones, diarrheæ, hemorrhagiæ, ſyncopes, deliramenta, & mille alia criſibus adverſa, quamobrem ſi vires adſint, ſunt iterum celebrandæ miſſiones ſanguinis è ſalvatella, è venis ſedalibus, auricularibus, atque è venis ſincipitis, &c. Si liquida nimis mobilia æſtuent, & ſolida nimis irritata ferè incendantur, & criſes præpediant

ſunt affatim exhibendæ aquæ nullâ non die, & horâ acuti morbi, ſunt in uſu ponenda refrigerantia, & humectantia, hoc eſt, quæ ſpiritus, ſanguinem, lympham, ceteroſque humores compeſcunt, & frigefaciunt, ſunt in uſu aquæ lactucæ, decoctiones papaveris; endiviæ, cichoreæ, violarum &c. ſunt in uſu ſeroſitates caprillæ, aquæ card. ſancti, ſcorzoneræ, decoctiones contrajervæ, aquæ nuceriæ julap. contrajervæ commixtæ, aquæ theriacales, aliaque alexipharmaca, eo puta fine, ut noxia ſatis viſcida adinſtar limi in medio aquarum ſolvantur, ut terreſtria, & dura corpuſcula aquâ imbibita paulatim fluant, & conformentur emiſſariolis vaſculorum, oſcillis glandularum, renum, ac diametris pororum cutis.

In acutis ergo in quibus liquida offendunt ſolida, ultra certum reſiſtentiæ gradum, ea conveniunt remedia, quæ illis reſtituunt aliquam moderationis rationem, cujus causâ ſolida mutuò agere poſſint, & fluida demittere tumultus, & utraque acquirere aliquam reciprocationem, Ea conveniunt quæ tollunt quidquid movet cum exceſſu, & parit diſcordiam, hujus indolis ſunt aquæ & alia ſuperius allata; conveniunt quæ removent quidquid præpedit ſolida, ne liquidorum fluxibus cedant, ritèque flectantur, brevi, quidquid plus juſto adauget, vel imminuit reſiſtentias, momentumque velocitatis.

Nimis longum, ac laborioſum eſſet, hic in medium afferre remediorum ſeriem ad mentem Veterum, atque Recentiorum, ſolum commendo quæ valent lentos incidere humores, adeoque illos diſſolvere, ut melius ſenſim cohæreant; ſolum commendo, quæ humores nimis liberos, ac vividos conſtringunt, & frænant, quæ hebetiores ſpiritus, & cruoris particulas ad rareſcendum importunas novant, quæ motus languidos, ſive violentos, ac inter ſe minimè reſpondentes, adaugent, imminuunt, vel ad aliquam proportionem reſtituunt, quæ corrigunt, noxiaque præpediunt, ne ſupra naturæ vires, ac reſiſtentiarum momentum agant, ne lymphas abſorbeant, & machinularum fædera dirimant.

Sine mora eſt ſublevanda natura illis auxiliis, quæ

pla-

placant, vel compeſcunt humores, ſpiritus, & partes, eiſque adaugent aliquem reciprocationis gradum, cum quo poſſint adinvicem agere, & paulatim ſuperare, & concoquere noxium, commendantur propterea frictiones per univerſum corpus, unctiones oleis veneno oppoſitis, commendantur cucurbitulæ ſiccæ, & ſcarificatæ, veſcicantia, fomenta, cæteraque localia, quæ poros impervios dilatant, tumores maturant, aliaſve malas productiones comprimunt; ſint ægrotantium organa erodentibus, ſalſis, ac vitriolicis humoribus gravata, vel in modum corii ſicci redacta, ſint liquida nimis luxuriantia; ſint ſpiritus ſummoperè concitati, ac veluti ſibi ipſis occurrentes, mirum profectò quantum moderationis aquæ hic gelidæ, illic frigidiuſculæ, & alibi tepefactæ ferunt utilitatis, quantum ignis reſtinguunt, quantum humoris, ac refrigerii ſuppeditant, quantum denique vaſa aeris, ſanguinis, & ſpirituum acquirunt facilioris flexionis, motus, ac temperantiæ, quantum humores, ſpiritus, ac partes conſequuntur reciprocationis, atque moderationis, ope cujus præpeditam, aut retardatam acutorum cauſam paulatim ſeparare poſſunt.

In hoc rerum diſcrimine ita ſuccurrendum eſt naturæ laboranti, ut motuum ſuperadditorum componat diſcordiam, ut liquidi nervorum & ſanguinis particulas placet, ac frænet, eaſque ad mutuam agendi conſonantiam revocet, ut jugi aquarum uſu natura ipſa memoratos humores confuſos, valdeque commotos, aut inquinatos adinſtar aquæ turbidæ, ac ebullientis mitiget, mundet, & comprimat, ut villi divulſi, ac veluti areſcentes certum humiditatis gradum obtineant, ut impervia pervia fiant, ut omnigenæ inanitates lutulentâ lymphâ cumulatæ purgentur, aptèque dilnantur.

Sciunt utique rei practicæ Cultores tam aquas gelidas, ac tepidas, quam juta tenuja, ſeroſitates extillatas per viam chili, & ſanguinis fluentes, pervadere ſingula vaſorum genera, ideoque hic imminutas, illic adauctas vires, & reſiſtentias ſuſcitare, atque componere, humores in nimiam libertatem aſſertos domare, & coer-

coercere, ſopitas fluidorum particulas, ſive veneficas expurgare, adeoque univerſæ fabricæ reſtituere certum gradum ordinis, ſitus, figuræ, & motus cum quo natura poſſit agere, & noxia ſeparare; ſciunt aquas pravam materiam corpuſculis inertibus admixtam, quæ motus tarditatem, & debilitatem impetus majorem facit, emollire, ad fluxum diſponere, diſſolvere, in ſua vaſa derivare, perindéque humectare, ac refrigerare, & alia, quæ ab his pendent novare, ac perdere; ſciunt ad tollendas, vel ponendas non levis momenti noxias cohæſiones requiri aliquid, majori momento præditum, quod ſe inter ſingulas noxias particulas valde in contactum nitentes adigat, eaſque abinvicem extrorſum trudat, abripiat a ſuperficie extrinſecâ, & ad appoſitas partes trahat, vel obliquè eas extrorſum percutiat, quouſque disjungantur, & noventur, ſciunt è contra pernicioſas acutorum cauſas ſejunctas, & vehementes debere duci in contactum, premi, urgeri, ac in eumdem contactum detineri, ſed jam patet nihil eſſe magis vividum, majorique momento donatum, quam aqua, jus tenue, aliæque potiones memoratæ, quæ omne genus impedimentorum eludunt, & ſuperant, ſeſe adigendo, vel per tenuiſſimos quoſque poros, vel ſibi viam aperiendo inter duas quaſque partes cohærentes, & inter contactum, nullum ſpatium relinquentes; Certum enim eſt aquas copioſè exhibitas inſipidis, acidis, ærugineis, ſalſis, ſulphureis, aliiſque ignotis corpuſculis permixtas ſecerni, ideoque totum ægri compoſitum purgare. Adnotatione dignum eſt, non immeritò condemnari medicamenta in acutis, quæ alvum ſolvunt, quæ motus ſuperadditos ac importunos adaugent, quæ jugiter turbant, & confundunt humores, quæ ſollicitant, & ſtimulis ſolida offendunt, exprimunt, ea abſumunt, ac neceſſariâ humorum copiâ privant; audiendus eſt ergo Divinus Præceptor, qui in poſtremis ſententiis primæ ſection, aphoriſm. decrevit, quomodo, & quando ſunt præſcribenda, atque fugienda purgantia.

FINIS.

27024